

B
1
14

Handwritten scribbles and numbers at the top of the page.

VON BÜLOWSCHE

BIBLIOTHEK



BEYERNAUMBURG

*In. m. Joh. Andreae Kaeßneri,
Pastoris Nieder-Redlingensis
possidet*

*Joannes Fredericus Hoffmann
nr. Lang. Thur.*

Mat 19 a. 1726. Lib. IV. Fasc. 3



APPENDIX II.

SEU

EPITOME
HISTORIARVM

nostri temporis


AB ANNO M. DC. XVIII.
VSQVE AD ANNVM M. DC. XLIX.

Pro continuatione Historiarum

HORATII TVRSELLINI, S. I.
ab orbe condito.

AUTHORE,

A. B. C.



COLONIÆ,

Apud JOANNEM ANTHONIUM KINCKIUM.

ANNO M. DC. XLIX.

Cum Privileg. S. C. M. Generali.

AD LECTOREM.

CVM Epitomen Historiarum Horatii Tursellini D. KINCKIUS Iunior de novo recuderet, ac iam pene opus perfectum esset, desideravit summopere, ut cōtinuatio ipsius ad hac usque tempora adjiceretur. Explicavit id desiderium multis, neque improbabant, nam utile non modo sed iucundum etiam iuventuti erat, non modo quæ diu ante nos, sed etiam quæ prope, ac pene in ipso conspectu nostro acta essent cognoscere. Sed nemo facile erat qui hunc laborem susciperet, alios multitudo negociorum, alios res ipsa & iudicia vulgi terrebat. Tandem venit ad me nescio quomodo. In audierat fortasse huiusmodi commentationibus delectari. Negavit primo me in alienam messem falcem missurum. Interim eam in alio labore, haud multum ab simili, eo pertinacius institit, donec annuerem, sed profecto vix inceperam cum etiam promissi panituit, ita festinabat Typographus, me quoque multa rerum singularium notitia deficiebat, neque enim primis quibusque Relationibus, & quomodolibet traditis, fidem temere adhibere sustineant. Ita nata est hæc appendix. Lector benevole, quæ interim utere, donec politior altera, & absolutior prodeat. Vale. 1649. 10. Augusti.

FER-

FERDINANDVS II.



BOHEMICUM bellum, quod deinde omnem Germaniam in exitium traxit, anno hujus sæculi octavo decimo ex ortum est. [a] Causas & initia ejus hæc reperio. Cæsar Rodolphus anno millesimo sexcentesimo nono publicæ pacis causa, iis qui in Bohemia à Catholica Religione diffidebant, & se professores *sub utraque* appellabant, publicum professionis suæ exercitium indulserat, dato super ea rediplo- mate, quod *litteras Majestatis* nominabant. Id diploma hæretici in re gratiosa uti sit pro se liberaliter Catholici contra arctius interpretabantur. Igitur dum illi Brunaviæ & Clostergrabii Religioni suæ templum moluntur, quorum hoc in fundo Archiepiscopi Pragensis illud oppido Abbatris Brunaviensis, utrumque in Patrimonio Catholicorum præsulum erat, res primùm ad contentionem devenit, Negabantque Catholici privilegio Rodolphino jus fieri hæreticis in solo Ecclesiastico templa condendi. Ea re diu multumque verbis & litteris disceptata, tandem Cæsar Matthias pro Catholicis pronunciat, Ita Archiepiscopus Pragensis Clostergrabensem fabricam dirui ac solo æquari mandat, Civibusque Brunaviensibus imperatum ut claves templi sui apud Cancellariam Bohemicam deponerent, & dum cunctantur, primarii aliquot in vincula coniecti. Accessit quod munia regni præcipua conferebantur iis qui Catholicæ professionis erant tum sperni querimonias suas, & postulata negligi apud Aulam Cæsaris criminabantur. Tandem authore Henrico Matthæo comite Turriano Proceres Bohemiæ qui diversæ Religionis erant, magno numero Pragam conveniunt, Fit decretum diploma [b] Rodolphinum & libertatem

a 2

Reli-

[a] *Causa & initia Belli Bohemici.* [b] *Inicium motuum.*

llini
bene
atio
de-
modo
diu
no-
unc
s res
escio
oni-
ceni
ab-
fecto
abat
oti-
bus,
ine-
nte-
leat,

R-

Religionis omnibus modis asserere, Ea super re scribunt Cæsari supplices, Et accepto responso secus quam existimaverant, ira in ministros Cæsaris conversa curiam Arcis Pragensis ingrediuntur armati, Erant in arce Supremus regni Burggravius Adamus à Sternenberg, & Guilielmus Schlabara, præses consilii, & Iaroslaus Comes Smisancius, & Baro Popelius, & Philippus Fabricius Secretarius. Ad hos querelas suas deferunt. Libertatem Religionis, liberationem Brunoviensium, jam non petunt sed exigunt. Responsum à Burggravio & Popelio modeste. Reliqui tres acrius restitere. Itaque mox è fenestris in subjectam aream præcipites dati, & Sclopetis aliquot petiti sunt. Sed illos causæ æquitas & innocentia sua protexit, neque miraculo caruisse visum est, neminem in ea locorum altitudine aut casu aut jaculatione læsum.

[a] Hoc belli principium ac veluti classicum fuit. Nā Proceres satis intellecta sceleris magnitudine quod in Cæsarem ac Regem suum admisissent, imminentium periculorum remedium per nova pericula quæsitura strenuè seditionem promoveant, delectis ex omni numero triginta, DIRECTORIBUS tanquam novum regni consilium, quorū arbitrio cuncta gererentur, mox loco moti Cæsarei minis tri præfectique militum aut in verba directorum atque ordinum jurare compulsi, ejecti Patres Societatis Iesu ex tota Bohemia atque eorum in locum variarum sectarum magistri inducti. Simul conscripti milites, præparata arma, sollicitatæ vicinæ urbes, & annexæ provinciæ Moravia, Lusatia, Silesia in partem tractæ, Adsumptus ex Sabaudica militia Ernestus Mansfeldius rogati in auxilium Principes Protestantes Germaniæ, Excita Hungaria, Austria, Transylvania aliæque barbaræ nationes seu quia auxilium sperabatur, an ut nomen factioni, atque ex eo metum hostibus adderent. Mirum est quam brevi tempore triginta millium exercitum Turrianus eduxerit. Cum quo in
Mora-

[a] *Apparatus bellorum.*

Moraviam movens, dum Mansfeldius Pilsam expugnat, praemisso Schlickio jam quoque Austriae appropinquabat, ostensurus fiduciam ex propinquo res ibidem novas molientibus. [a] At Cæsar Matthias comitiis Hungaricis, quibus in Ferdinandum Regem Bohemiae, Hungariae quoque regni coronam transtulerat, ex voluntate absolutis, cognita Bohemorum rebellionem cum neque monitis neque minis suis locum superesse animadvertit, crescente indies perduellium audacia irreverentiaque, Opponit primo cum parva manu Henricum comitem Tampierium in bello Veneto nuper eximie probatum ducem, huic submittit Carolum Longuevallium comitem Bucquonii cum duobus equitum, & sex peditum millibus ab Alberto Belgarum Principe petitum, sed neque ita hostibus par erat, Jam enim rebellium numerus in immensum excreverat, nutabant vicinæ provinciæ, & horrenda de Cælo prodigia terrebant. [b] Apud Rhetos Pluretum oppidum haud inelegans juxta Clavennam lapsu vicini montis repente obruitur. Oppressi oppidani ad unum omnes, & communi quasi lapide in tumulum contecti, mense Novembri eodem anno ingens Cometa minaci cauda tanquam flagello armatus apparuit. [c] Magnitudine & specie memorabili. Dignum est observatu plurimorum testimonio qui cursum novi sideris curiosius inspexere, duravisse ad dies fere triginta, cum totidem deinde annos ab hoc initio usque ad conclusam Monasterii pacem in Germania nostra bellatum sit. Fuere qui Cometæ præsigium [d] ad Matthias Cæsar's mortem transtulerint, qui anni (1619.) initio ætate & novis curis fractus ex hac vita decessit, Maximiliano Archiduce, & Anna Imperatrice conjuge sua paulo ante defunctis.

[e] Morte Cæsar's ad Ferdinandum Bohemiae & Hun-

a 3

gariae

- [a] Cæsar's Matthias conatus contra rebelles Bohemos.
 [b] Prodigia pluretum oppidum obrutum lapsu montis.
 [c] Cometa. [d] Mors Cæsar's Matthias & ceterorum.
 [e] 1619. Res Bohemica post mortem Matthias.

gariæ Regem Austriacæ in Germania potentia summa pervenit, quàm ille magnis tumultibus turbatam accepit. Etenim Bohemiam non de conservatione Rodolphini Privilegii cujus confirmationem Ferdinandus Rex statim submiserat, sed de amovendo Ferdinando & novi Regis creatione consilia inibant, Propositi in eam spem Fridericus elector Palatinus. Emanuel Dux Sabaudia, Gabriel Bethlenius Transylvania Princeps, Joannes Georgius Elector Saxonie, Maximilianus Dux Bavaria, sed his duobus tot ditionum inexcusabilem rapinam detestantibus prælatum est reliquis Fridericus elector [a] Palatinus, & consensu rebellium Ordinū in Regem electus. Interim Mansfeldius Bohemiam, Turrianus Moraviam Austriamque hostili more raptabant, & Bethlenius Transylvania Princeps occupata Cassovia, ac dein Posonio, & omni superiore Hungaria turbinis in modum decursa, Principem se Hungaria constituit. Nunquam alias in majore discrimine res Austriacæ fuere, Videbaturque angustissima domus, quæ ducentos per annos Imperiale fastigium non sine divino præfagio obtinuerat, evoluta tandem felicitatis suæ cursu in exitum itura. Sed Deo aliter visum, nam sub idem tempus [b] Ferdinandus à Bohemis Hungarisque repudiatus Francofurti apud Mænum omnium electorum consensu atque ipsius etiam Palatini suffragio Rex Romanorum & Imperator cooptatur. Frustra obnitentibus Bohemis, ne Ferdinandi tanquam Regis Bohemiae atque adeo Electoris, in eo Septemvirum conventuratio haberetur. Agnitus tamen à Collegis, authorque præsentibus ibi Principibus fuit ut re bohemica maturius expensa, omnes communi ope consilioque in pacem & quietem totius imperii intenderent. [c] Hac de causa Mulhusium ad Tubaram Septemvirorum conventio indicta, moniti que per literas Bohemi & Palatinus, dū sana consilia aspernantur, auxilium adversus ipsos Cæsari

decerni-

[a] Palatinus eligitur Rex Bohemia. [b] Ferdinandus fit Cæsar. [c] 1620. Conventus Electoralis Mulhusii.

decernitur. Simul Ambrosius Spinola durantibus Hollandicis induciis cum flore Belgici exercitus Palatinum invadit, [a] Plus ibi prædæ quam belli fuit, dum longa pace florentissima ditio in conspectu A catholici exercitus, quæ sub Unionis nomine Protestantes jam diu collegerat, diripitur. Atq; is primus Palatino fructus fuit, dum aliena appetit, ut propria amitteret. Sed majorem in Bohemia cladem accepit. Jam enim Saxo ad recuperandam pro Cæsare Lusatiam cum exercitu properabat, & Bavarus pace cum Unionis principibus composita, atq; Austria ex itinere in ordinem redacta in Bohemiam contendit, ubi collatis cum Buquojo castris apud Pragam memorabili prælio Palatinum fundit, insigni ad memoriam die, (8. Nou.) cum per [b] universum Christianum orbem ex sacro Evangelii codice legeretur. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quod à Palatino & Bohemis neglectum ea dies abunde præstitit, provinciis mox omnibus ad fidem & obsequium Cæsaris reversis. Initium Bohemicæ cladis à fuga Hungarorum fuit. Octo milia Hungarorum erant à Bethlenio, & fœderatis Hungariæ ordinibus auxilio Bohemis missa, equites plerique. Sed illi, uti externis auxiliis mos est, prædæ magis quam causæ sociorum studuerant, quod utrosque in exitum impulit. Nam in fugientes Hungaros immissi Poloni magna parte ferro trucidata, cæteros in amnem Multaviam præcipites agunt, ubi spoliis graves, tum metu & cursu exanimes violentia fluminis multi abrepti, hausti que sunt. Tum Bohemi tanta parte exercitus nudati ubi instare acrius Cæsarianos, neque spem victoriæ reliquam animadvertunt, projectis armis, qua cuique pronum, & ipsi fugere incipiunt. Denunciante Anhaltino qui Palatini loco summæ rei præerat, cum jam fugam inhibere non posset: ut Brandisium, quod duobus fere miliaribus distat Praga, peteretur, ibidemque se sub signa reciperent. Sed in tanta rerum confusione imperium à paucis acceptum pauciores executi sunt, alii metu, & hoste alioversum exigente, multi quod

a 7 res

[a] Spinola invadit Palatinum, [b] Victoria Pragensis.

res prolapsas aut non curabant, aut desperabant. Ita unius horæ spacio maximus exercitus, loco, comœtu, omnique ad bellum apparatu superior fusus est. Cecidere ex Bohemis novem millia, ferro vel aqua, Capti Anhaltinus & Turrianus Juniores ducum ipsorum filii, signa pedestria, equestriaque supra centum, tormenta majora decem, apparatus bellici, curruû, impedimentorumq; magnus numerus, Cæsariani paulo supra ducentos desideravere, ex quibus maxime insignes Comes quidam Rechbergensis, & Baro Peterfemius supremus hospitiorum designator. Saucii plures extitere. Inter quos Godefridus Comes Papenheimius, inter cadavera repertus, jam pene exanimis ac vix agnitus à suis, adhibita deinceps curatione, præter omnium expectationem, magno hostium malo revaluit. [a] Cæterum Palatinus intellecta clade summa festinatione ex arce regia in veterem Pragam confugit, neque ibi plus quàm unicam noctem moratus, postridie cum conjuge Elisabetha, liberisque, & multis Bohemicis dynastis Uratislaviam, mox longa fuga totam pene germaniam emensus in Hollandiam concessit, nihil ex priorè fortuna quam animum & titulum retinens. Fugam Palatini deditio Pragæ consecuta est, cujus exemplum reliqua dein Bohemia, Moraviaque & Silesia imitata, partim metu & vi, partim spontanea deditioe ad obsequium Cæsaris rediere.

[b] Per idem tempus Sigismundus Poloniae Rex dum Gratiano Valachiae & Moldaviae Principi adversus Turcas auxilium fert uno alterove infausto prælio victus, relictis tandem viribus victores fundit fugatque, immissa in Pontum Euxinum per Cosaggos ingenti classe, atque ad ipsam Constantinopolim terrore perlato. Non multo post ingens periculum Rex domi evasit, à Nobili quodam Michaelè Piecarsio, dum templum ingreditur, in ipso limine, his telo Polonico appetitus, fauciatuque. Sicarius inter ceptus ac justo supplicio affectus

[a] *Palatina fuga.* [b] *Res polonica.*

affectus nullos conscios edidit, nihil sibi aliud dolere professus quam quòd destinata non perfecisset. *finis Wagner*

[a] Eodem anno (1620.) in Rhetia apud Grifones civilium armorum-motus, diuturno inter Hispanum Gallumque bello occasionem dedere. Catholici Evangelicorum injuriis laceffiti occultis inter se consiliis initis Calvinianos omnes arreptis armis interficiunt, imploratoque Ducis Feriani, Præfecti Medionalensis *Misland* auxilio aliquot illi muniendarum arcium potestatem faciunt. Adhæc Rhæticum omne nomen commotum. Indignantibus Venetis hæc Italiae claustra perpetua Possessione teneri ab Hispanis. Igitur invocatus auxilio Ludovicus Galliaæ Rex obtinuit ab Hispano per legatos ut se in integrum omnia restitutum promitteret, dū modo Catholicis consulereur. Quæ res cum nihilominus exitu careret, ad arma perventum, & per annos aliquot vario eventu continuata. [b] Sed neque civiles in Gallia turbæ quievere, conspirantibus adversus Luinium, cujus ad invidiam usque potentia creverat proceribus quibusdam, quos clandestina ex oppido Blesensi Reginae Matris fuga, & in arcem Andegavensem transitus, ad res novas impulerat. Quo in bello Ludovicus, Henrici Condæi quem superiore anno ex custodia dimiserat, fidei opera, consilioque usus, brevi ocium & quietem gallis reddidit, uno ad Pontem Cæsaris conflictu, adversariis oppressis. Qua victoria Regina Mater, & cæteri earundem partium cum Rege conciliati sunt. Pari celeritate in Regione Bearnensi, quæ ab reliqua Gallia separatum jus habet oppressi Calviniani, ejectisque eorundem Magistris Catholici fidei professores ubique inducti.

[c] Interea Gabriel Bethlenius Hungarici quoque Regni titulum, Palatini exemplo adsumpserat, adversus quem cum firma manu missus Tampierius dum Posonium per insidias tentat, jamque Pylocлаstrum portæ admoventes suos hortatur, à præsidiariis Ungaris agni-

a s

tus

[a] Res Rhetica. [b] Rex Gallia. [c] Res Hungaria.

tus, ac multorum jaculationibus petitus interficitur. [a] Vir sane strenuus militarique fortitudine ac prudentia præclarus. Virtuti ejus hoc quoque Bethlenius dedit, ut Posonii præfente Gallico Legato magno cum decore, mortuo parentaret. Cadaver dein à Cæsare redemptum, Viennæ militari pompa conditur. Tampierio cum majoribus copiis Buquojus submissus est & statim quidem tanquam socii ducis mortem vindicaturus intercepto Posonio, dein Tyrna, & Altenburgo, dum Neosolii obsidionem strenuus urget paria fata experatus est, [a] ab erumpentibus præfidiariis in insidias protractus, morantibus quos subsidio adesse jussierat, sexdecim acceptis vulneribus occisus, [b] Patrem habuit Maximilianum Vauxii Dominum ærario Regio in Belgio præpositum. & Alexandro Principi Parmensi carum imprimis, quo procurante Comitum appellacionem ex Buquojo gētilitio in Artesia dominatu, à Philippo Rege impetraverat. Mortuo in obsidione Tornacēsi Maximiliano, munia patris & turmam Wallonum in Carolum adhuc duodecennem transtulit Alexander. Inde in Belgica Martis Schola sub magnis præceptoribus ad militiam eruditus virtute, fide, cōtinentiaq; in magni ducis nomen inclaruit. Multis victoriis, & rerum bene gestarum gloria inclytus non vita quam morte illustrior, nisi in hac id forte reprehenderis quod se militem magis quam ducem fuisse meminerit. Cæterum morte Buquoii statim res Cæsaris in Hūgaria procubuere, emerfitque iterum novo cum exercitu è Transylvania Bethlenius, cujus adventu soluta obsidio Neosoliensis, & miles per urbium præfidia dispositus. Ita hostili exercitu vacuam Hungariam nactus Bethlenius, Turriano & Iegerndorfio comitibus Tirnaviam summa vi adhibita expugnat, sævisque populationibus, more suo late grassatus, tentato nequicquam Posonio quod præfidiarii acerrime defendebant, in Moraviam invitante Jegerndorfio perrexit, ubi occupatis expilatisque variis

locis

[a] *Mors Buquoii.* [b] *Serada, belli Belgic. dec. 2. lib. 4.*

locis hæsit impetus victoris, objiciente Cæsare novos hostibus tribunos Esterhasium, Wallensteinium, Hannibalem Donavium, aliosque. Qui, cum minutis subinde damnis exercitum Bethlenii carperent, tum diffugientibus Transylvanis, ac recedente in Silesiam Jegerndorfio, adhæc in evastatis longe provinciis deficiente celeriter com meatu, cui à raptoribus parum studebatur; adjecit iterum animum ad pacis consilia, quæ integris viribus & salva rerum summa inter partes mutuo metu suspensas facilius honestiusque coalescit. [a] data pax petenti, conventumque in has conditiones Niolæopoli, ut Bethlenius sub titulo Principis Imperii, retenta Cassovia, & septem in Hungaria, nonnullisque in Silesia ditionibus, Corona & cæteris regni Hungarici urbibus cederet, Status vero Religionis & Patres Societatis restituerentur in eum locum, quo ante hoc bellum fuissent.

[b] Non multo post Cæsar Ferdinandus Eleonoram Mantuæ ducem in matrimonium accepit anno ætatis quadragesimo secundo postquam sex annos à priore conjugè Maria Anna, Bavara, viduus vixisset. Profectus obviam Sponsæ Oenipontem, ibidem nuptias celebravit modesto apparatu pro temporum ratione. Obiit sub idem tempus (1621.) [c] Paulus Papa V. postquam annos quindecim Ecclesiæ præfuisse curâ Collegio Cardinalium suffectus Alexander Ludovisus Bononiensis, Gregorii XV. nomine accepto Philippus III. Rex Hispaniarum paulo ante finem belgicarum induciarum vita excessit, sex liberis relictis, Philippo IV. qui Patri successit, Carolo, Ferdinando, Anna, Maria, & Margaretha, vixit annos tres & quadraginta, ex quibus duos & viginti in amplissimo Imperio plenos curarum habuit. Princeps Religiosus ac mitissimus inanitatem mundanæ gloriæ, & tot provinciarum titulos gravissimos expertus cum deposuit.

a 6

BB

[a] p. x Transylvanica. [b] Matrimonium Cæsaris [c] Mores variorum Pauli V. Philippi 3. R. H.

Id suprema voce testatus satius sibi fuisse si ignoti potius nominis Monachus quam tantarum opum Rex decederet. Philippum secutus est Albertus Belgii Princeps, atque in eo defecit stirps mascula Maximiliani II. Cæsaris jure omni in Ferdinandum II. jam ante translato. Viduam reliquit Isabellam Claram Eugeniam quæ sola deinceps aliquot annos belgium gubernavit. Romæ [a] Bellarminus Cardinalis Marcelli II. Pontificis maximi sorore genitus, fato fungitur, sanctimonix & literarum gloria inter scriptores adversus hujus sæculi hæreses eminentissimus. [b] In Gallia Carolus Albertus Dux Luinius vita excessit, humili è loco indulgentia Ludovici XIII. ad invidendam potentiam evectus atque eo vel nomine memorandus quod occupatum semel regix amicitix locum, inter infinitos æmulos indejectus obtinuit, miraculo potentix raro sempiternæ. Quo miserabilior in Hispania [c] Roderici Calderonii casus fuit, Is tenuissima fortuna, (nam Pater in belgio gregarius Regi militabat, favore Francisci Sandovallii Lermæi ducis summum amicitix gradum apud Philippum III. assecutus) mox pares principibus opes, titulosque & matrimonium, & majorem his omnibus invidiam, quæ indivisa felicitatis comes est, suo etiam vitio adeptus, an insitâ mortalibus naturâ ut recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspiciant, modumque fortunæ à nullis magis exigant quam quos in æquo videre. Igitur ad extremum impar invidiæ, & gravissimorum criminum reus post biennii custodiam, Mortuo tandem Philippo III. à filio ipsius Mantuæ Carperanorû suppliceo affectus est, nunquam sane eo loci redactus si tanta moderatione secundam fortunam coluisset, quanta constantia adversam tulit. Nempe secundæ res acrioribus stimulis explorant animum, quia miseriæ tolerantur, felicitate corumpimur.

[d] Sub idem tempus in Hollandia Religio turbavit,
Jamque

[a] *Bellarmini Cardinalis.* [b] *Luinii.* [c] *Chalderonii.*
[d] *Res Hollandicæ.*

Jamque Ultrajecti & aliis in urbibus Arminiani dejectis magistratu Gomaristis, (ita se partes à Jacobo Arminio & Francisco Gomara in Calvinii explicatione disidentibus vocabant) invadere Rempublicam scribere milites, & suam ubique sectam promovere studebant, Ea res cum fæderatis ordinibus civilis belli initium, atque haud dubie ad divisionem, adeoque exitium provinciarum unitarum spectare putaretur, occurrendum in tempore rati, priusquam remedium coalitis nimium viribus frustra esset, Dant negocium Mauritio Orangii principi, ut Ultrajectum aliasque urbes quæ ad arma spectabant in ordinem redigeret. Factum id consilio magis quam vi. Simul indicta Dordracum conventio ubi de Calvinianæ professionis capitibus disputaretur. Invitati etiam Arminiani adversum quos ea maxime disceptatio habebatur. Pauci Arminianorum adfuere, damnatique & dominio fæderatorum ordinum jussi excedere. Sed primaria Arminianorum capita jam ante custodia tradiderant Ex quibus Joannes Oldenbarneveldius, Hollandiæ & Frisiæ advocatus mense Majo (1619.) capitis supplicio affectus est, anno ætatis tertio & septuagesimo. Dum floruit rerum politicarum inter suos scientissimus & Reipublicæ suæ Cato habitus, certe magnorum Europæ principum consiliis immixtus quæ ei causa exitii fuit. Ægidius Ladenbergius Syndicus Ultrajectinus voluntaria morte damnationem antevertit, infamiam non evasit. Cadaver loculo inclusum atque è furca suspensum est. Rumoldus Hogerbetius & Hugo Grotius hic Roterodamensis, ille Leidensis Syndici perpetuis carceribus addicti sunt, ex quibus Grotius non multo post deceptis custodibus, in cista elatus, Antuerpiam, dein Luretiam liber appulit. Ita turbis domi compositis Negociatio nautica ordinata, Igitur Societatem ad annos viginti quatuor in Indias Australes certis legibus firmatam edicunt, præscripti limites à Tropico Caneri, ad Promontorium bonæ Spei, per Africæ atque Æthiopiæ litora, inde dextrum in latus

Brafiliam legēdo, ac rursus transmissio Magellanico per immensos Americi maris tractus ad fretum usq; Anian. Prohibita privatorum commercia intra hos terminos ne singularis lucri sollicitudine boni publici spes eveteretur. Designati quæstores, præfidesque rei nauticæ & mercatoricæ periti. Indultum Societati cum externis Regulis ac Dynastis inire fædera, bella gerere, arces, regionesq; invadere, terras incultas inductis populis excolere, demum securitati & fortunæ suæ, pro arbitrio Præsidum & opportunitate temporis omni studio consulere. Præfixi quinque menses intra quos qui in societatem admitti vellent, nomina sua, & sortem quam in ferre cuperent, profiterentur, tertia pecuniæ parte statim deposita, reliquis duabus sequenti triennio conferendis. Sub idem tempus duodecennales cum Hispano induciæ expiravere. Tum ad bello reditum. Hispani tētata improspere Sciusa mense demum Septembri (1621.) Juliacum [a] circūvallare incipiunt, Missum eo Henricum comitem Bergensem, Isenburgicus cum parte exercitus & re tormentaria securus est. Interim cum alia exercitus parte Spinola adversus Orangium consedit. Qui Reefam inter & Embricam lustrato exercitu, desperata demum Juliaci liberatione in hyberna discessit. Ita Juliacū duobus exercitibus, media hyeme, acerrime pressū multis ultro citroque illatis, damnis majore obsidentiū jactura sequentis anni initio in potestatem Spinolæ concessit.

[b] Inter hæc Cæsar Palatino sociisque imperiali fulmine notatis, Pragæ de rebellibus Bohemis per Carolum Principem Liechtensteinium supplicium sumit, narrat author fide dignissimus [c] Carolus Caraffa Episcopus Averfanus & tum apud Cæsarem fedis Apostolicæ legatus, eo ipso die quo insequente anno rebelles supplicio affecti sunt, in templo Pragæ primario paulo ante mediā noctem ab ipsis Acatholicis, & Satellitibus Palatini auditas voces quasi psallentium Sacerdotum in Odeo, cū tamen nemo id temporis hominū in Ecclesia esset. Quas

[a] *Obsidio Juliaci.*

ille.

[b] *Res Imperii.* [c] *in German. sacra restaurata.*

ille voces cælitum fuisse existimat, & Patronorum Pragensium, vindictam oppressæ Religionis, & debitam rebellibus pœnam à Deo postulantiū. At Mansfeldius jã tertiu à Cæsare proscriptus, collectis Bohemicæ cladis, reliquiis & aliis subinde copiis auctus res Palatini inclinatæ solus aliquamdiu sustentavit fœdis populatiōibus Palatinatum, Alsatiam, Franconiam aliasque Catholicorum principum ditiones devastans, [a] Adversus quem dimissus Tillius Catholici exercitus supremus dux acceptam ad Mingelshemium modicam cladem, apud Wimphenam paulo post egregie reposuit, Socio Mansfeldii Georgio Friderico Marchione Durlacensi iusta acie victo, & non multo post Christiano duce Brunsvicensi prope Hoechstum oppidum ad Mæni ripas fuso fugatoque, utrumque ducem cum fugientibus reliquiis Mansfeldius excepit. Impedimenta & currus cum machinis atque omni apparatu bellico utriusque exercitus in Tillianorum potestatem pervenere. Hoechstium oppidum Baro Ghelenius jussu Tillii, recuperavit, haud sine suo periculo, primum juxta Portam brachium globulo trajectus, dein repentino pulveris tormentarii incendio correptus ambustusque, ut multos exin dies desperata valetudine decubuerit. Tãdem Palatinus duplici clade Durlacensi & Brunsvicensi percussus, simul Angliæ & Daniæ regū hortatu spe pacis quæ Bruxellis tractabatur dimittit exercitum, ex authorato utroque duce Mansfeldio & Brunsvicensi, ipse mox Sedanum, & dein mutato habitu per Galliam, uti paulo ante ad res suas inspiciendas advenerat, in Hollandiam ignoratus revertit. Fama est utrumque ducem Mansfeldium & Brunsvicensem operam suam obtulisse Cæsari, si abolita proscriptiōe in gratiam reciperentur, & militibus de stipendio satisfaceret, incertum ex verò an quia spacium explicandis consiliis quærebant? Ita ex Alsatia in Lotharingiam digressi, modo reditum in Germaniam minabantur. Mox

ia

[a] *Mansfeldii gesta.*

in Galliam obversi, quasi laborantibus ibi Hugonottis auxilio futuri, tandem acciti à confæderatis belgii ordinibus Brabantiam petivere. Quos eadem celeritate Gonsalvus Corduba cū Hispanicis & Burgundicis copiis apud Floreacum haud procul Namurco assecutus, sistere fugam & committere aciem coëgit. Pugnarum utrinque acriter & fere æqua morte, nam utrique ad se victoriam traxere. [a] Dux Brunsvicensis in eo prælio sinistrum brachium amisit, non sine vindicta Divini Numinis, qui paulo ante expilatis per Wesphaliam Ecclesiis sacrum aurum argentumque in novum monetæ genus conflaverat, arroganti sane symbolo insignitum, nam ab una parte manus enubibus protensa evaginatum ensẽ vibrabat, adscripto nomine FRIDERICUS, ab altera parte hæc verba addiderat Germanico idiomate, AMICUS DEI, CLERICORUM HOSTIS. Post pugnam quicquid de exercitu reliquum fuit, quidam octo tantum millia fuisse tradiderunt, ad Hollandos pervenit, quorum adventu, Berga ad Somam, quam Spinola obsidebat, liberata est.

[b] In Gallia Ludovicus Rex redacta Bearnensi provincia in potestatem reliquam Aquitaniam subicere instituit, concivit ea res omnes in Gallia Calvinianos, ut celebratis apud Rupellam conventiculis defensionem meditarentur. Quorum proposito Rex nihil territus, occupatis multis urbibus Santonum, ac Novem populoniæ, vicinarumque provinciarum & præsidio munitis quanquam promptissimos è nobilitate amitteret, à Monte Albano etiam pertinacia obsessorum rejectus tamen circumferre arma, atque urgere obstinatos, demum ad Rupellam, caput perduellium, in ordinem redigendam, animum adjecit.

Gravius bellum Sigismundo [c] Poloniæ Regi adversus Osmanem Turcarum imperatorem fuit, qui relicto Persis Babylone, ut vires omnes in bellum Polonicum

[a] *Christianus Brunsvicensis novus Casari hostis.* [b] *Res Gallica.* [c] *Res Polonia Turcica.*

nicum contraheret, Trecenta armatorum millia ad fines Poloniae eduxit, quibus tuendis Rex Sigismundus Carolum Chodekievicium rerum militarium per Lithuaniam praefectum, cum filio Principe Uladislao praemiserat, Castra ad Tyram fluvium posita ac saepe à Turcis oppugnata, irrito semper conatu, ac magno invadentium damno. Chodekievicius dein morbus sustulit, cui surrogatus Stanislaus Lubomiercius pacem honestis conditionibus pepigit. Non aspernante Osmane postquam Cameneciam quoque & Panovicium validas ad Tyram arces frustra tentasset. Sed Polonos bello Turcico perfunctos acrior à tergo hostis excepit Gustavus Adolphus Sueciae Rex, qui anno superiore (1620.) ducta in Matrimonium Maria Eleonora, Georgii Guilielmi electoris Brandenburgici sorore, cum viginti quatuor millibus in Livoniam irruit. Obsessa mox Riga, valida ad sinum Livonicum urbs in potestatem Gustavi facilius concessit, quam ut coacta videretur, excluso praesidio quod ad Dunae fluminis ostium Christophorus Ratzivilitus in tempore adduxerat. Rigam Dunamunda secuta est, duobus ab ea milliaribus distans munimentum.

Subinde (1622.) Constantinopoli rerum [a] Turcicarum ingens mutatio exorta est. Osmanus imperator Turcarum, re contra Polonos male gesta, inglorius, praecipuam ejus rei causam ignaviae Janizarorum adscribebat, quare infensus illi militiae interficere Janizarios, atque in eorum locum novos ex Arabibus scribere constituit. Ita multi quotidie ex Janizaris, specie quod vini potu leges Mahomeri violassent, necati sunt. Tandem consilio maxime Dilaverii qui princeps Bassarum ac summus Vezerius erat, simulat indicitque profectio- nem in Arabiam ad sepulchrum Machometis re vera sedem imperii Damascum in Syriam translaturus, Tum Janizari, Spachiique quae honoratissima apud Turcas militia est, subodorati quod res erat, primum

ayer-

[a] *Res Turcia.*

aversati profectioem, demum ubi se frustra esse intelligunt, clamant prodi Rempublicam Christianis, se ad cædem duci, itaq; facto impetu (Viginti quatuor millia fuerunt,) Palatium irrumpunt, intimos quosq; Imperatoris crudeliter trucidant, [a] Mustapham patrum Osmani ex carceribus extractum, & se ad cædem duci arbitrantem, subito Imperatorem consalutant, Demum Osmanum ipsum novi imperatoris jussu, manu carnificis interficiunt, nulla ætatis commiseratione, nam annorum octodecim erat, seductumque se pravis consiliis querebatur. Cadaver ejus sine vlllo honore Imperatorio sepulchro illatum est. Multi id signum inclinatis Othomannici Imperii notauerunt, violata tam petulanter summi Principis majestate quæ hucusque illibata, & divinitatis instar apud Turcas culta est. Cæterum Mustaphæ haud diuturnum imperium fuit cui ferendo, ipse mentis non satis compos, impar erat. Itaque anno insequente, in pristinam custodiam reducto, Amurathes Osmani frater substitutus est, anno ætatis sexto decimo sed indole ingenioque supra annos.

[b] Sub idem tempus (1623.) Cæsar indictis Ratisponam comitiis Electoralibus, quæ tamen Saxo & Brandenburgicus non nisi per Legatos obiere, proscripito jam ante Friderico Palatino, Electorale fastigium Maximiliano Bavariæ duci confert, qui in coercenda Austria Bohemiaq; multum operæ sumptuumq; impenderat, meritisq; eam dignitatem ante alios videbatur quæ in eadem domo ante annos quadringentos fuerat. Saxo & Brandenburgicus judicium Cæsaris non probavere. Nam etsi meritis pœnâ Palatinus videretur, non tamen propria Cæsaris autoritate, sed de consilio consensuque Electorum, puniendum esse. Ostendebat insuper Wolfgangus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus, exclusa Heidelbergensi domo se in successione electoratus proximum esse, sed Cæsar tenax propositi mense martio comitia

[a] *Osman. Tur. Imp. mactatur à suis.* [b] *Comitia Ratisponensia & res Imperii.*

mitia dissolvit. Atque inde Pragam profectus, Joanni Georgio Electori Saxoniae Lusatiam quam armis recuperaverat, liberaliter attribuit, dimisso Tillio cum exercitu in Saxoniam inferiorem cujus Principes nondum ab armis quiescebant, electo in ducē Christiano Brunsvicensi & mox metu Cæsaris iterum dimisso. At Tillius nihilo secius copias retinentem quas jam pene ad triginta millium numerum refecerat prope Sthatloun Westphaliae aggressus memorabili clade profligat, ut plerisque in acie cæsis, Dux cum paucis equitibus ad Mansfeldium evaserit.

[a] Mense Julio (1623.) Gregorius XV. Papa moritur, cum biennio & quinque circiter mensibus Ecclesiae praefuisset, & paulo ante ab Electore Bavaro Bibliothecam Heidelbergensem qua tota Germania celebriorem non habuit, procurante [b] Carolo Caraffa, dono accepisset. Gregorio Maphæus Barberinus sublectus Urbani VIII. nomine accepto, vir literarum & sapientiae laude excellens. In Germania Lorharius Elector Trevirensis diem supremum obiit, cui a Collegio Metropolitano Philippus Christophorus surrogatus est, ex familia Baronum de Soteren, & Episcopus Spirensis.

Sub idem tempus [c] Bethlenius Transylvaniae princeps ope Turcarum, & instigantibus Austriacorum hostibus iterum Hungariam assuetis populationibus incurfavit, occupata Tyrnavia, & oblesso apud Ghedinū Cæsario exercitu, quem numero longe inferiorē eo loci Comes Suartzenburgicus hosti opposuerat, sed inedia Cæsarianos magis quam hostis premebat. Qua tamen constanter tolerata, pertinaciam hostis fregere, Nam ubi Bethlenius comperit Tillium cum Legionibus aliquot à Cæsare ex inferiore Germania evocatum, simul diffugientibus Turcis Tartarisque quibus subita magis quā diuturna bellorum ratio est, omisit obsidionem reducto exercitu suo non sine clade. Igitur rursus pax constituta eo faciliore Cæsare quod novum bellum

ex Ger-

[a] *Mortes vajorum.* [b] *Caraff. p. 177.* [c] *Res Trāsylvanica.*

ex Germania metuebat. [a] Etenim Jacobus magnæ Britanniaæ Rex cum pro Palatino, genero suo, in patrimoniales ditiones, avitamque dignitatem restituendo, diu per legatos literasque apud Cæsarem frustra egisset, demum misso quoque in Hispaniam filio Carolo Walliaæ Principe ut per nuptias Regiaæ sororis faciliorem Palatini reconciliationem efficeret, postquam ea spe dejectus est, promotus Bavaro in Electorem, revocat prope ex Hispania filium, & in Henricam Mariam Galliaæ regis sororem matrimonium ejus transfert Hispano & Cæsari amicitiam renunciat, minatur bellum inexplicabile, non Daniam, Sueciamque, & alios externos principes omisso indignum casum illustrissimæ domus tot regum principumque matrimoniis & sanguini immixtæ. Neque minas ex vano jaciebat. Jamque enim cum Regibus Galliaæ, Daniaæ, Sueciaæ, Hollandiaque & Venetis fœdus contraxerat, sed in ipso rerum apparatu mors Regem abstulit, cui Carolus Walliaæ princeps successit. Jacobus Maria Stuarta Scotiaæ Regina genitus est, quæ pulsa à suis cum in Elisabethæ Angliaæ Reginaæ fidem confugisset, odio Catholicaæ Religionis cui impense studebat Maria, ab æmula interfecta est. Elisabethæ dein testamento Jacobus hæres scriptus, tria Regna Angliaæ, Scotiaæ, Hiberniaæ primus omnium ante se regum solus obtinuit. Vir pacis quàm belli amantior, literarum cultor præcipuus. Ex Anna Dana Elisabetham Palatino nuptam & Carolum regni successorem suscepit. Qui dum hæc scribimus à novo regni fenatu captus, & læsæ rei publicæ postulatus palam in foro Londinensi manu Carnificis obtruncatus est, illustre exemplum rerum humanarum vices variantium.

[b] In belgio Ambrosius Spinola Hispaniarum copiarum dux post decem mensium obsidionem Breda poritus est, cum paulo ante Mauritius Orangii princeps vita concessisset, militari gloria inter Belgas excellens, & acceptæ à majoribus libertatis accerrimus protector.

[a] Regis Anglia conatus pro Palatino. [b] Res Belgica.

protector. [a] In Hispania Carolus Archidux, & Cæsaris frater in spem regni Lusitanix evocatus trigesimo quã advenerat die defunctus est, quare haud multo post Leopoldus alter Cæsaris frater, Passaviensi & Argentinensi Episcopatibus in Leopoldum Wilhelmum Cæsaris filium translatis, Cladium Ferdinandi Hetruriæ ducis filiam in matrimonium accepit, quo pluribus munimentis domus Austriaca inniteretur, sub idem tempus primogenitus Cæsaris Ferdinandus III. celebratis Oedenburgi comitiis Rex Hungariæ renunciatus est.

[b] At in Polonia expirantibus Suecicis induciis bellum recruduit, Gustavus Adolphus Rex Sueciæ profugato Stanislao Saphiea, Coconhausio, & Derpato munitis arcibus potitus ex Livonia in Lithuaniam properabat, occupata arce Bierze in Samogitia quæ ad Ducem Ratzivilium spectans contra tantam vim provisa non erat, Sexaginta inde ænea tormenta victor Rex Rigam abduxit. Mox translato in Borussiam bello, Elbingam, Bransburgum, Mariopolim, atque alia nonnulla oppida metu, prodicione, vi, pene antequam intelligerent Poloni, adeptus ingentem iis regionibus metum iniecit. Quare excitatus Sigismundus Poloniæ Rex collecta tu multuaria manu apud Mevam oppidum juxta Vistulam non improspere configit. Sueci rejecti Dirfaviam, & paulo post majore numero reversi Mevam oppidum, quod à Sigismundo peti arbitrabantur, munitere, advecto com meatu & præsidio majore imposito. Sed Poloni, adventu Stanislai Coniecpolsii qui ex Russia legiones veteranas adduxerat recreati, Dirfaviam tota hyeme obsedere. At in Russia Stephanus Chmielecus à Coniecpolsio præsidio relictus rem Polonicam adversus Tartaros strenue gessit. Erant Chmielecio sex millia Cosaggorum Saporovianorum, & fere dimidium tantum auxiliarium à proceribus diversis missum, cum his triginta millia Tartarorum apud flumen

Rosiam

[a] *Piacii Chronicon. pag. 441.* [b] *Res Polonia.*

Rosiam aggressus ingenti clade prostravit, maxima hostium parte aut cæsa in acie, aut aquis hausta, aut dein à furentibus rusticis trucidata. Ex Polonis non nisi novem desiderati sunt, quinquaginta saucii. [a] Sed Rex Gustavus exacta hyeme in Borussiam reversus, (ubi Conjecpolsius, paulo ante Tyrones Suecios in Brandenburgensi provincia collectos interceperat) propugnaculum Gedanense summa vi oppugnare aggreditur, rejectusque cum clade & suo etiam vulnere, dum æger decumbit, spacium Polonis dedit recipiendæ Mervæ, Recupèrata dein valetudine dum castra Polonorum apud Dirfaviam invadit. Et quasi priori vulnere, satisfacisset fortunæ, inter primos dimicans, rursus secundum pectus pila trajicitur, Ita periculo Regis, irrita oppugnatio extitit. Dein mentio pacis ab Hollandorum Legatis interposita Rege Sueciæ uti credebatur nõ invito, & præter Rigam, quicquid in Livonia Borussiaque occupasset restituere parato, ab Hispanicis oratoribus eversa est ne Rex Gustavus bello Polonico defunctus, arma in Germaniam converteret, quo jam promissionibus multorum sollicitabatur.

[b] Enimvero ardebat tum in Germania novum bellum, Duce Christiano IV. Daniæ rege. Is ab inferioris Saxonix Principibus Dux circuli creatus, amoto Luneburgensi ad quem alias ejus circuli præfectura per leges imperii spectat, ad bellum se omni ope comparabat, Miserat Rex Britannix per Mansfeldium & Brunsvicensem, pecuniam, militesque idem Hollandi, Rhæti, Venetique pollicebantur. Aderant Galli consilio, pecuniaque, alias Austriacæ potentix æmuli. & tum Rhæticiis motibus adversus Hispanos irritati. Danus infausto sane initio novam expeditionem auspicatus est. Hammeliæ ex crepidine mæniorum cum equo in subjectam fossam lapsus dum noctu stationes militares circuit. Excubabat adversus novos Danici belli apparatus jussu Cæsaris Tillius & quia augentibus se identidem hostibus, omnibus simul

impat

[a] Suecus in Prussia. [b] Initia belli Danici.

impar videbatur data cura [a] Alberto Wallensteinio ut novum exercitum scriberet. Interea Tillius cum diu literis legationibusque cum Rege Daniæ certasset, occupato munimento quod ad Huxariam Danus struxerat, transit cum exercitu Visurgim in agrum Brunsvicensem, occupatisq; aliquot locis, sed Nienburgo cū clade tentato, mense Novembri nō procul Hanobria insigni victoria potitur, cæsis in acie Friderico Duce Saxoniae Altenburgensi, qui dudum Neostadii captus, per sancte sponderat, nō se adversus Cæsarem amplius militaturū, & Obertrautio Danici equitatus supremo præfesto. Interim Wallensteinus festinatis delectibus viginti duo millia collegerat. Cū quibus Halberstadiensem, Hallensem, & Magdeburgensem diœceses perumpēs, eo intēdit ut Albim fluvium suæ potestatis faceret. Munita imprimis operibus & præsidio Dessavia, transmittendo flumini per opportuna, quæ dum Mansfeldius reparatum per hyemem exercitum repēte educens, removere conatur apud [b] Pontem Dessaviensem egregia clade multatus est, amissis in acie quatuor millibus, quorum pleriq; Batavi fuere, à fæderatis belgii ordinibus Mansfeldio in subsidium missi. Victus Mansfeldius cum magna parte equitatus Brandenburgum cōtendit, dein collectas ut licuit copias, Cum Ernesto duce Vinariensi conjungens, dum interim Wallensteinus recuperata Servesta victoriæ suæ securus insistit, in Silesiam, Moraviamque improvisus irrumpit, Nullo hostium, sociorumque discrimine; quin quocunque incederet, fœdis exactationibus, omnia evastaret. Fugientem Wallensteinus insegurus omni Germania exegit, atque ipse haud multo post relictis Vinariensi copiis in Bosnia extinctus est, incertum morbo, an veneno, nam & id aliqui tradidere. Patrem habuit Petrum Ernestum Mansfeldium Lucemburgi, & mortuo Alexandro Parmensi Belgii Governatorem. Adolescens

fratrem

[a] Vuallensteinus novus dux Cæsareus. [b] Mansfeldius caditur apud Dessaviam, [c] moritur ejus origo.

fratrem Carolum in Hungaricam militiam secutus est, postea sub Leopoldo Archiduce in bello Alsatico tribunus, desertis Austriacis in Sabaudia Principis, mox rebellium Bohemorum partes concessit, neque clade Palatini, aut trina Cæsaris proscriptione fractus est, bis à Tillio, semel à Wallensteinio acie victus semper habuit unde exercitum repararet, demùm inter ipsa novi belli meditata occubuit, insigni apud suos gloria militari, qui rapinarum populationumque infamiam, quibus bellum aluit, instauravitque, necessitate excusant, Non minus læta Catholicis accidit mors Christiani [a] ducis Brunsvicensis, qui pulso à Northemii obsidione Tillio ne inglorius moreretur, Wolfenbeutellium ad capeffendam hæreditatem evocatus diem extremum obiit, anno ætatis nono & vigesimo, Memorant ingentem lumbricum in exenterato corpore repertum. [b] Nemo, eo bello acrior Catholicorum hostis extitit, maxime Sacerdotum monachorumque, quos ultra modum hostilis animi barbarâ plane ferociâ persecutus est. Tillius interea Osnabrugam per Comitem Anholdium recuperat, ipse Mindam validam Brunonia urbem cum Ludovico Comite Furstenbergio circumfidet. Major ibi opinione Tillii labor cum Oppidani præsidariis mixti extrema tentarent. Exeunte tamen maio (1626.) urbs capta, cæsi præsidarii ad unum omnes, & ex oppidanis qui inter arma reperti. Quæ res festinavit deditionem Gottingæ, omnium rerum copia instructissimæ, cui jam in auxilium Rex Daniæ cum viginti millibus properabat. [c] Quod ubi Tillio nunciatum est, omisso oppugnationum consilio, omnes ad se copias contraxit, mox Regem ad Lutheram vicum assecutus pugnae copiam habuit. Victi Dani memorabili prælio, omni fere peditatu in acie amisso, capta signa militaria XCV. tormenta majora XXX. præter impedimenta, & pulveris, pilarumq; magnam vim.

Ea

[a] *Brunsvicensis ducis mors.* [b] *Caraff. p. 277.* [c] *Rex Daniæ vincitur à Tillio.*

ca victoria Tillio omnem inferiorem Saxoniam Bre-
mam usque aperuit, Rex Wolfenbeutelium, mox Al-
bim transgressus, reliquum æstatis colligendis fugiti-
vis & reparandis copiis insumpsit. Appendix victoriae
fuit, quod Georgius Hassiæ Landtgravius una cum Lu-
næburgensi & Brunsvicensi ducibus ejurato Danico fæ-
dere in fidem potestatemque Cæsaris rediere.

Medio belli Danici ardore in Austria supra Anassum
Rustici turbavere, [a] obtinebat eam regionem Maxi-
milianus Elector Baviaræ, donec sumptus in bellum
Bohemicum expositos reciperet. Igitur conferendis pe-
cuniis gravatos, novo edicto Cæsar exterruit, quo iussit
ut intra certum tempus, ejurata hæresi Catholicam Re-
ligionem amplecterentur, aut Patria cederent. Id teli
instar omnibus visum, nam plerique admodum hæresi
ambuti, Catholicam Religionem morte ipsa infestio-
rem habebant. Principio Cæsaris edictum supplici li-
bello deprecati, dum id frustra fuit, ad arma convolant,
fusoque primo impetu Adamo Comite Herberstor-
phio, mox cæsis quingentis Tyronibus quos Bavarus
ad supplendum Lintzii præsidium pronò Danubio dimi-
serat ab obsidendum Lintzium animum adjiciunt, om-
ni circum regione maxime nobilium Catholicorum ar-
cibus hostium in morem direptis. Præerat Linteio Her-
berstorpius, Is continuos agrestium insultus magno ani-
mo repellens urbem in officio & fide retinuit. Dux se-
ditiosorum Stephanus Fadingerius ex vilioribus opi-
ficibus pilearius ut puto, in hac obsidione cecidit, cui
mox Achatius Willingerius è surrina, homo audax &
turbidus suffectus est. Sed jam Cæsar majores copias
duce Lobelio, & Bavarus octo millia ductu Pappenhei-
mii submiserant. Quorum adventu tribus præliis victi
quievere Venia poenitentibus data, ferocissimi quique
vel adsuétude rapinarum, aut conscientia sceletum
atque ob id gratiam desperantes per Moraviam Sile-
siamque vagi Hungarico se aut Danico bello miscuere.

b

NON

[a] *Bellum Rusticum in Austria.*

Non invito Cæsare, qui paucorum pœna contentus, reliquis ad sua redire iussis, cæterorum jacturam velut turbidi ac noxii sanguinis emissionem lætus acciebat.

[a] Per idem tempus Gabriel Bethlenius Transylvaniæ Princeps accepta in Matrimonium Catharina Brandebürgica, Germanis principibus affinitate in-nexus iterum arma arripuit, intento tum maxime Cæsare in bellum Danicum, turbasque rusticorum Austriacorum quos ille occultis subinde nunciis promissisque stimulare haud temere credebatur. In Hungariam primum, mox & Moraviam hostili more effusus vacua præsidiis oppida arcesque facile in potestatem redigebat, cum evocatus è bello danico Wallensteinus, cæso ad Dessaviam Mansfeldio opportune se Transylvanicis motibus opposuit. Expectabat Bethlenius quadraginta millia Tartarorum, quibus, à Polono transitum vetante, cæsis repulsisque, non tamen omisit Turcarum auxiliis instructus Novigradi oppugnandi consilium. Inde rejectus cum clade à Wallensteinio, mox justa acie cæsus, amissis quatuor millibus, Impedimentisque & omni bellico apparatu simul revocatis Turcicis auxiliis pacem toties violatam rursus petere instituit. Posonii pax conclusa, conventumque ut Bethlenius redditis quæ occupasset, & belli sumptibus persolutis Hungaria abstineret, haud multo post Ferdinandus III. Hungariæ Rex, Bohemici quoque regni coronam Pragæ accepit.

[b] In Rhætia per idem tempus inter Gallia & Hispaniæ regem, opera Pontificis pax componitur, at Galli Britannique in apertum prope bellum proruperant, Rex Britannia favebat Hugonottis, re-
cepe-

[a] *Bellum Transylvanicum.*

[b] *Piassecius. Turba inter Gallos & Anglos.*

ceperatque Ducem Subissium profugum ex Gallia cum viginti navibus, Accessit quod Britannus contra pacta conjugalia arcte nimis contenteque reginam conjugem habebat, in iis quæ ad Catholicæ Professionis exercitium spectabant; dimissis ex ministerio Reginae trecentis fere, qui maxime Catholici erant, causa per nuncium suum Carletonem exposita, quod ita Pacis publicæ interesset, metuendumque ne si manerent, ab Anglicano vulgo, sum quo à Religione dissiderent, gravius aliquid paterentur. Hæc tamen controversia per Legatum Gallicum sic composita est, ut duodecim tantum sacerdotes, unus Episcopus, duodecim Matronæ, unus Cubicularius, Secretarius, Medicus, & tres præterea alii ministri Catholici pro Reginae obsequio ibidem retinerentur. At ut ab auxilio Hugonottis ferendo desisteretur impetrari non potuit, ita acerbiores postea inimicitia utrumque regnum inter se commisere.

[a] Interim Wallensteinus pacata Silesia, Hungaria, Austriaque contra Danum magno apparatu vires renovantem reversus haud sane modice curas Regis intendit. Qui uni Tillio impar novum ducem, Silesicis Hungaricisque victoriis ferocem nequaquam sustinere posse videbatur. Confederat Rex inter Albim & Visurgim, & novis subinde auxiliis delectibusque auctus, Agrum Luneburgensem immisis prædatoribus vastabat. Igitur mense Augusto Tillius Albim transmittit, quem mox assecutus Wallensteinus, fugientem jam Danum in Holsatiam & Judlandiam porro persequitur. Ita Danus in angustias freti Danici compulsus, amissis præterea copiis quas Marchio Durlacenus & Baudisius ducebant, quasque Carolus Lavenburgicus in supplementum conscripserat, omnem Cæsareis regionem cis fretum Danicum reliquit, urbibus quas adhuc reliquas habebat valido præsidio

b 2

firma-

[a] (1627.) *Belli Danici continuatio.*

sumatis. Igitur ad has expugnandas Cæsarei exercitum divisere. Papenheimius Wolfenbutelium ferro & igni inexpugnabile munimentum aqua fregit, obstructo aggeribus alveo fluminis quod urbem interfluit. Nienburgi deditioem mors Limbachii præfecti & admissæ ab Anholdino tolerabiles viris condiciones maturaverunt. Northemii expugnatio Furstembergio difficilior fuit, oppidanis acerbitate conditionum, ad extrema omnia, & non tantum in desperationem exasperatis. Haud multo post (1628.) Tillius Stadio potitus est, eam urbem defendebat Carolus Morganius, à Rege Angliæ Dano in subsidium missus, magni animi vir, & spectata virtute, sed inopia cibariorum deditioem facere coactus est. Gluckstadium, (quam Fortunopolim latine dixeris) nondum plane deserente Regem fortuna, in cuius nomen auspiciūque ab illo ipso conditum munimentumque paulo ante fuerat, diuturnam & irritam ad extremum obsidionem diu fortissime toleravit. At Rex languentibus jam belli curis dum Cæsarei oppugnandis urbibus distinentur impositos navi milites in Pomerariam transvehit, occupataque Usedomia Insula Wolgastum subigit, mox inde à Wallensteinio cum clade rejectus nihil deinceps in solo Germanico tentavit, contentus immixtis subinde auxiliis Stralsondam firmare, quam acri obsidione Joannes Georgius Arnhemius, mox ipse Wallensteinus urgebant. Stralsonda, aperto undique mari, Danicis primum mox & Suedicis auxiliis, quorum clientela se postea tradidit, oportune firmata, obsidentium vires non parum attrivit, mox & elusit, ubi Wallensteinio ab Hanseaticis urbibus naves negatae. Octo tamen suo ære fabricavit, quibus Balthici maris navigationem ausus, freto Danico quod Sondam vocant imminere credebatur, In hoc rerum statu opposito inter dimicantes mari, cum neque Cæsarei amplius progredi penuria navium, neque rex defectu stipendiorum militumque bellum gerere diutius posset, in has pacis leges Lubecæ conventum est, ut

est, ut dimissis utrinque captivis Danus imperio, Imperator Holsatia Daniaque decederet, atque hic Danici belli finis est, 1629. anno postquam inceperat quarto.

[a] Obiere sub hoc bello Joannes Sueicardus elector Moguntinus in cujus locum Georgius Fridericus à Greiffenclau Episcopus Wormatiensis & Præpositus Moguntinus sublectus est. Item Ludovicus Hassiæ Regulus, ambo Cæsari & imperio fideles Principes, Ante hos eandem mortalitatis viam inivere Joannes Ernestus dux Vinariensis, & Joachimus Sigismundus, Marchio Brandenburgicus frater Electoris, & Joachimus Ernestus Onolsbachianus, & Philippus Julius Dux Pomeraniæ, cui Boguslaus ultimus earum provinciarum hæres successit. Hos anno hujus sæculi infecuti sunt Carolus Princeps Liechstensteinius & Prorex Bohemiæ, Ludovicus, Comes Furstembergicus heros fortissimus, & Vincentius Dux Mantuæ, & Montis-ferrati, designato jam ante hærede Duce Nivernensi, quæ res novo dein bello materiam præbuit. Pragæ interea publicis bellorum calamitatibus privatum scelus intercessit, Matrona primaria eo usque adultero assuevit, ut ne necando marito cogitaret, quare per adulterum confecta cum res emanasset, [b] uterque comprehensus & supplicio capitis affectus est.

[c] Subinde Palatinus per Lotharingiæ & Wittenbergiæ ducem restitutionem apud Cæsarem tentabat, Tractatio Colmaræ inita, & Electoratum quidem Bavaro cedebat, sed ut post mortem Maximiliani, cum suis & Bavari liberis alternaretur. Neque displicuisset Conditio, at vero cum Catholicam Religionem, quæ jam in ipsius ditiones introducta fuerat, obstinate respuerit, neque æs alienum persolvere vellet, neque bona Ecclesiæ controversa reddere, omnis reconciliationis spes evanuit. [d] Resumpta in conventu Mulhusia-

b 3

noa

[a] *Mors v. riorum.* [b] *Lotichius lib. 16. c. 5.* [c] *Tractationes de Restitutione Palatini.* [d] *Caraffa, in Germania sacra.*

no à Collegio Electorum eadem tractatio, decretumq; ut Palatinus veniam à Cæsare supplex peteret, Renunciaret, pro se hæredibusq; Regno Bohemiæ per vim occupato, cederet Electoratu, rescinderet fœdera contra Cæsarem atq; imperium inita, His præstitis reciperetur in gratiam, contentus parte Patrimonialium ditionum quam illi Cæsar attribuisset Actum dein de bello Danico quod adhuc feruebat, de pace per imperium restituenda, de abdicanda militia quæ sua magnitudine nō hostilibus modo sed amicis quoque provinciis pergravis erat. Repetebant Augustanus, Constantiensis, Wormatiensis aliique Catholici Episcopi diversa Sacerdotia à Duce Wirtenbergensi, Marchione Anspacensi, atq; aliis A catholicis principibus contra transactionem Passaviensem per vim ut ipsi affirmabant ablata. Et vero ea res frequentissimis hæctenus Catholicorum querimoniis in Camera Imperiali atque apud aulam Cæsaris jactata, semper adversariorum opibus elusa, tum, Cæsare totius Germaniæ potito, matura videbatur quæ remedium tandem atque exitum inveniret. [b] Cæterum id quoniam longe funestissimi per Germaniam belli initium fuit, paulo altius repetendum est. Superiore sæculo postquam Martinus Lutherus ab Ecclesiæ Catholicæ gremio recessisset, traductis aliquot in suas partes principibus, mox Ecclesiæ bona & opulentissima Sacerdotia pro spolio fuere, Malum initio modicum, ut fere omnia, continuo ad justum belli molem evaluit. Neque Carolo Cæsari tot ditionum Domino ocium erat uni imperio intēdere Igitur Pax armis quæsitæ. Et postquā belli pertæsum Passavii constituta, ac triennio post Augustæ legibus firmata est. (1555.) Hæc est celebris illa & decantata per Germaniam Pax Religionis. In quam tamen præter Augustanæ Confessionis professores nulli aliorum sectariorū admissi sunt, Cautumque, nequid deinceps bonis Ecclesiæ adimeretur. Et si quis ex

ordine

[a] *Brevis digressio in occupationem bonorum Ecclesiasticorum.*

ordine Ecclesiastico, [a] Prælarus aut alius quicumque Religionē Catholicam desereret. Is cōtinuo sine nominis & famæ injuria facultatibus, beneficiis & Proventibus sacris cederet, data Ecclesiæ facultate aut quibus id jure competit, alium qui antiquæ Catholicæ Religionis sit, in locum decedentis, sufficiendi. [b] Interea Calviniani sub specie Augustanæ confessionis paulatim irrepere, ampla ad se sacerdotia, & opulentissimos provenus trahere, Augustanis, ut culpæ & periculorum socios haberent, pinguis prædæ dulcedine, idem suadere, hortari, & ne authores deessent, præire exemplo. Nihil reliquum erat pulsis Catholicis nisi jus & leges, sed vanum præsidium, Nam dicasterium Spirense, & aulam Imperatoriam, quæ duo, summa sunt in imperio Judicia, variis primū appellacionibus, revisionibusq; adversarii frustrabantur, demum dedignati novum in imperio judicium fieri postulant quod Controversias Religionis finiret, sed neque hujus rei facilis exitus, multo minus comitia, aut amica colloquia novo malo medebantur. Igitur projecta spe longioris pacis, res iterum ad arma spectare videbatur. (1609.) Inde initium novorum fæderum, quod Catholici, [c] *Ligam Catholicam* Protestantes seu correspondentes Principes, *Unionem Evangelicam* appellabant. Catholici fæderis exercitus Maximiliano Bavarix duci permissus, Unionē Comitum Palatini rexere. Sed hæc cæso ad Pragam Palatino brevi extincta est. Ille in Bohemico, Mansfeldico, & Danico bello egregiā Cæsari operā adversus hostes tulit, Quibus jam per omnē Germaniam oppressis maturū videbatur Catholicis reperere ea, quæ post Transactionē Passaviensem, atque adeo contra Pacem Religionis, Ecclesiæ adempta essent, erāt in eo genere, magni nominis Sacerdotia Magdeburgensis & Bremensis Archiepiscopatus, Halberstadiensis, Verdensis, Mindensis Caminensis, Havelbergensis, Sverinensis Episcopus, erant

b 4

Cæno-

[a] Reichs abscheidt zu Auspurgh, 1655. §. und nach dem bey vergleichung, &c. [b] Origo belli Germanici præcipua. [c] Liga & Unionis origo.

Canobia, Abbatia, Collegia, Commendarum sine numero, quae aut à Principibus, aut urbibus Imperialibus jam diu pulsas Catholicis, quiete & justo ut ipsi putabant titulo tenebantur. Porro Caesarem ut supremum Ecclesiae advocatum non Electores modo Principesque Catholici, sed summus etiam Pontifex, hortabantur uti ablata repeteret, neque ille qua erat, insigni observantia in priscam Ecclesiae sanctimoniam aequis Principum postulatis adversabatur. Sed rei magnitudo, & potentia Principum ad quos ea restitutio pertinebat, nihil pariebatur praecipitari.

[a] Interea novum Caesari bellum in Italia exortum est, Cum jam ante ingens terrae motus Apuliam concussisset. Vincentius Mantuae & Montisferrati Dux sine haereditibus mortuus Carolum Nivernium, Gallicarum partium principem & proximum agnatum nominaverat, successorem. Nivernius eo titulo vacuarum ditionum possessionem adiit accepto à subditis juramento, mox dimisso ad Imperatorem Archiepiscopo Mantuano, Jus fiduciarum imperialis feudi petere instituit. Caesar indignatus se inconsulto provincias aditas bellum Nivernio denunciat, primi Hispani vindicare injuriam Caesaris: promotisque copiis Consalvus Corduba Mediolanensis Gubernator, Casalium urbem munitissimam obsedit, Nec defuit occasione Carolus Emanuel dux Sabaudiae multa oppida in Monteferrato occupans, cui de ea provincia vetus est controversia, His hostibus impar Nivernius implorato Venetorum & Galliae regis auxilio summa ope, viribusque bellum parabat. Ludovicus Galliae Rex Rupella per difficilem oppugnationem tandem edomita, victorem exercitum per Alpes in Italiam effudit, Segusione subalpina urbe primo impetu devicta, ejus adventu Dux Sabaudiae ad pacis conditiones compulsus est, & Hispani obsidionem Casalium omisere, Interim Caesar lustratum apud Lindaviam viginti millium exercitum, Colalto, Aldringerio, & Gallassio

[a] *Bellum Italicum.*

lassio ducibus in Italiam immisit, qui occupata Curia, & perruptis Alpium faucibus magno metu agrum Mantuanum implevere. Tum divisis inter se partibus (1630.) Hispani rursus Casalium, Cæsarei Mantuam obsident. Inerat Mantuæ Dux ipse Nivernius quo majore vi, curaque defendebatur. [a] Cæterum Cæsarianis, dum vi & operibus parum proficiunt, repente intercipiendæ urbis occasio offertur. Miserat Nivernius nuncium ad Venetos cum literis quibus in supplementum præsidii tria aut quatuor millia militum petebat. Eo intercepto asservatoque ubi inducendi subsidii dies aderat Matthias Gallassius quatuor peditum millia expediri jubet. Quæ vergente in occasum die per intervalla ac latebras circumducta, mox tanquam à Venetis missa, simulata aggressione, in castra Cæsariana impetum faciunt, nihil ab utrisque prætermisum quo veri prælii species assimularetur, donec obscuro jam die perruptis castris ad portas urbis pervenere, Ita beneficio noctis simul specie prælii delusis oppidanis cum auxilia à Venetis submissa existimarentur, intromissi urbem capiunt. Dux ipse intellecta fraude mature se in arcem cum conjugè & liberis recepit ex qua paulo post cum suis liber Placentiam dimissus est. Urbs inter Italicas magnæ imprimis & antiquæ opulentia a victore milite miserum in modum direpta est. Sed apud Casalium difficilior Hispanis obsidio fuit, amissis longa oppugnatione insignioribus quibusque inter quos Marchio Mala spina, Italici equitatus præfectus & Octavius Sforzia fuere, omnium tamen rerum maximum impedimentum mors [b] Ambrosii Spinole fuit, is jam dudum à Rege ex Belgio evocatus in Hispaniam, mox huc destinatus, in castris morbo absumptus est, vis inter belli duces ævi sui celeberrimus.

Subinde in [c] Borussia Rex Sveciæ Gustavus ab obsidione Gedanensi à Coniecpolio Polonici exercitus

[a] Mantua per stratagemata intercipitur. [b] Mors Spinola. [c] Piafecius 1628. Bellum Regis uenia & Polonia in Prussia.



supremo duce rejectus, Brodniciam contendit; caeso ex itinere Alberto Cofacovio, quem Coniecpolusius cum expedita equitum manu ad custodiendos transitus praemiserat. Coniecpolusius punito Cofacovio, quem per negligentiam, cladem hanc accepisse cognoverat, abeuntium Suecorum postremum agmen assequitur, sexto à Brodnitia milliari; tria erant equitum millia cum Baudisio tribuno, qui commisso perbreui praelio in fugam coniecti, Baudisius saucius in Polonorum potestatem pervenit. (1629.) Brodnicia nihilominus à Suecicis capta est. Neque multo post Joannes Urangelius apud Elbingam Suecici praesidii praefectus Polonorum magnam partem concidit. Qua clade commotus Poloniae Rex Sigismundus à Caesare auxilium exposcit, missa quinque peditum & duo equitum millia ductu Arnhemii, eo subsidio confirmati in tempore Poloni Suecos aggrediuntur, & secundo praelio proffigant. Rex ipse Gustavus bis captus, cum non agnosceretur, elapsus est, Multi Suecorum praefectorum capti sunt, cum quindecim signis equestribus, & decem novi generis tormentis, ex corio confectis, usu nuper reperto. Ceterum victoriam Polonicam æmulatio militaris mox corruptit. Arnhemius Germanici auxilii praefectus, à Castris Polonicis Mariaeburgum petentibus, cum suis secessit causatus se in mandatis habere nihil hostile adversus ditiones Electoris Brandenburgici attentare, Dein stipendia imperiosius efflagitata, quorum parte solutâ cum nihilo minus moverentur Germani, fraus demum Arnhemii deprehensa est cum Electore Brandenburgico ejus cliens erat clandestina consilia per internuncios miscens. Arnhemio Henricus Julius Dux Lavenburgicus rogatu Regis Poloniae à Wallensteinio susceptus est, mox & Philippus Mansfeldius. Utriusque ducis inutilis auctoritas apud milites fuit, dimissione Arnhemii cui haecenus assueverant, non leviter offensos, [a] Ita Germanis dimissis.

Pax

[a] Pax inter Suecum & Polonum.

Pax cū Suecis in quinquennium constituta est, Danicis & Anglicis oratoribus intercedētibus. Pacem Polonicā pestis excepit quę Borussiam, Massoviam & vicinas provincias pergrassata multa hominū millia, extinxit. Felicior Sigismundus adversus Tartaros fuit, quorum sexaginta millia, Galga magni Tartarorū principis fratre, & Murea Cantimerio, ducibus Russiam ingressa, per Stephanum Chmielecium ducem Cosaggorum, & Stanislaum Lubomiercium, Russiæ Palatinum, aliquot cladibus afflixit, præda omni ablata. Pauci ex ea multitudine in Tartariam revertere.

Sub idem tempus [a] Gabriel Bethlenius è vivis excessit. Ferdinandum Cæsaris filium insigni legato profectus. Is multis bellis adversus Ferdinandum Cæsarem exercitus dixisse ad extremum fertur, [b] *difficile ac dubia alea plenum opus esse, pugnare contra Ferdinandum, quem nec adversa dejicerent, nec prospera extollerent.* Bethlenio Georgius Ragotius favore Turcarum, & procerum Transylvaniæ susceptus est.

[c] In Belgio, auroto Spinola, & classē Hispanica, quæ vectigale ex Indiis aurum advehebat, ab Hollandis intercepta, Res Hispanorum decrevere. Henricus Wilhelmus princeps Orangii multo majore quam ante hac unquam exercitu instructus, Sylvam ducis quarto, postquam obsederat, mense ad deditioem cogit, occupata interim astu Vesalia munitissimum oppidum ad Rheni & Lupiæ confluentes Hispanos & Cæsareos ex Velavia retraxit. Irruperat in Velaviam divertendo hosti Henricus Comes à Monte Hispanicæ in belgio militiæ supremus, accesserat cū Cæsarianis aliquot legionibus Montecuculus jamque occupatis oppidis quibusdam præsidio vacuis, Ultrajectum & Amstelodamum usque terrorem portulerant, cum amissa a tergo Vesalia unde commeatus, apparatusque omnem habebant, ea spes repente evanuit, Igitur Regius exercitus

magna

[a] *Dux Transylvaniæ moritur. 1619.* [b] *P. Lamorm.*
in Virt. Ferd. II. cap. 30. [c] *(1622.) Res Belgica.*

magna mox inopia cibariorum conflictatus. Velavia excessit, nullo fructu ea æstare, & duabus urbibus magni nominis amissis. [a] Haud multo post in Britannia, Buckinghamius, Angliæ Sejanus, [b] qui Jacobi & Caroli regum intimâ amicitiâ diu felicissime floruerat, militis gregarii manu confossus est, nomen homini Joannes Feltonius fuit. Scotus natione, pari ad perficiendum facinus, & prodendum animo. Etenim cæde absolutâ tam feliciter ut ignoratus evaderet, Jamque suborto tu multu in circumstantes Gallos suspicionem & mox crimen ipsum conferri ab Anglis intelligeret, auditâ voce Gallos omnes ad cædem deposcentium, subito regressus edidit authorem. [c] vos, inquit, *Sinite innocentes istos, eg ille, sum quem queritis extrahite cultrû è vulnere, & videte an nō manubrio albo instructus sit, tum hanc Schedam inspiciate, in quâ nomen meum, patriamque, & ordinem cogitati facinoris inscripsi, nullo alio consilio, quam ne author ignoraretur, si me forte inter manus vestras hic cadere contigisset.* Habita indici de se fides, & retractus inde ad tormenta nihil edidit, nisi quod sponte & boni publici causa hanc cædem patravisset.

[d] Sub hæc imperator magna Catholicorum expectatione, bonorum Ecclesiasticorum, quæ intra annos plus quam septuaginta post Pacem Religiosam Catholicis adempta erant, restitutionem edixit, nemo ea promulgatione exceptus: ne ii quidem Principes, qui præteritis moribus Cæsariarum partium fuerant. Multi illis opibus patrimonia sua immensum auxerant, Civitates Imperiales jam diu per tot bella ære alieno graves. hoc oportuno subsidio onera & dignitatem Republicæ sustinebant, adeoque secure hæc à majoribus accepta possidebant, ut restitutionem non aliter quam rapinam interpretarentur. Jamque passim per destinatos ad id commissarios in antiquas possessiones Catholici reducebantur, frustra nitentibus hæreticis,

cum

[a] *Res Anglica.* [b] *Lotichius lib. 24. c. 3.* [c] *Magnanimitas Sicarii Scoti.* [d] *Edictum restitutionis. 1629.*

cum Wallensteinus & Tilius omnia armis obtinerent, ostentatâ vi, ubi imperata abnuebantur. Igitur queri, fremere, minari passim per Germaniam Protestantes: Inauditos se indemnatosque patrimonii exui, quid restare nisi ut & religionem, cum hæc processissent, ad præscriptum Cæsaris mutare cogentur. Hæc quidem in commune, sed Elector Saxonæ cui de Archiepiscopatu Magdeburgensi lis erat, acerbiter edicti questus monuit Cæsarem, ne se imperiumque iis molitionibus pessundaret, rejectusque à Cæsare ad proxima comitia, quæ Ratisbonam in annum insequentem indixerat, ibi quoque per Legatos abolitionem novi edicti sui omniumque Protestantium nomine petere perseveravit. [a] Anno insequenti, qui sæculi hujus trigessimus fuit, Cæsar ad Comitium Ratisbonam profectus est, ibi Electores Catholici omnes, Protestantes per Legatos adfuere. Prima de pace in imperium reducenda tractatio fuit, quæ si uti sane apparebat, haberi non posset, transferendas eo curas uti militia certo ordine, disciplinaque firmaretur. Nunquam alias plus virium Cæsari sub signis fuit. In Italia, Polonia, Belgio singulares exercitus erant, & nihilominus supererat quod Germaniam gravaret, distributæ per hiberna & æstiva legiones alibi necessitate belli, alibi gratia & favore ducum magno oneri provinciis erant, Inducto jam more ut tributis provincialium exercitus alerentur, atque id quidem tolerabile videbatur, si modum exigendi avaritia aut favor reliquissent. [b] Sed præcipua apud omnes invidia laborabat Albertus Wenceslaus Wallensteinus, qui jam pridem indulgentia Cæsaris Comes, mox Dux Fridlandiæ, Sagani, Meckelenburgii, & supremus armorum Imperialium præfectus tantum non supra Cæsarem evaserat. Neque ille repentinam potentiam mode-

b. 6

rate

[a] Comitium Ratisponensia. 1630.

[b] V Wallensteinus exauthoratus.

rate habebat, ingens opum & naturâ auidus gloriæ, æmulorumq; contemptor, tum cultu & magnificentia vitæ quibusvis principibus par. Hinc Electores & principes Imperii tanquam fortunæ suæ adversarios despiciere postulata eorum eludere, æstiva, hiberna, præsidia, itinera, expeditiones arbitrato suo, gratiæ Cæsaris securus disponere. Igitur nihil fere tanta Electorum & principum contentione actum Ratisponæ, quam ut Wallensteinio præfectura armorum abrogaretur, ægre Cæsar adsensit, veritus offendere hominem quem tot beneficiis ornavisset, exauthorationem, non aliter quàm pro injuria, cujus impatientissimus erat, habiturum, Wallensteinio igitur [a] Joannes Tserclausius de Tilli surrogatus est, rerum gestarum gloria, & virtute nulli ducum secundus, sed modestia, cōtinentiaq; vitæ supra omnes. Constituta in eodem conventu militibus stipēdia, definitus legionum, centuriarum, tribunorum, præfectorumq; numerus, qui in immensum excreuerat, cōpositæ leges, pœnæq; & alia hujusmodi, quibus res militaris, quantum fieri posset, sine injuria Provincialium contineretur. Sed præpotuere validi in contrarium mores, & subsecutæ paulo post clades distractis in diversum curis salubria decreta, irrita fecere. Audita quoque postulata Palatini, & in alium conventum dilata. A Saxone & reliquis Protestantibus summo studio actum ut edictum Restitutionis revocaretur, sed id quoq; in aliud tempus rejectum, nihil interim cessantibus Cæsaris legatis ut occupata à Protestantibus bona Catholicis possessoribus attribuerentur.

[b] Eodem tempore Eleonora Mantuana Cæsaris cōjux Ratisponæ solenni, apparatu, Romanorum Imperatricis in augurata est, & Pax Italiæ his conditionibus cōclusa, ut parte Montisferrati Sabaudia duci restituta, reliqua Niversius Cæsaris Imperiiq; Romani beneficio, uti cæteri ante ipsum duces possideret. Rex Hungariæ Ferdinandus III. quem ad Regis Romanorū fastigium in

[a] Tillius summus militia Dux ordinatur. [b] Pax Italica.

in iisdem comitiis Cæsar præsentaverat, paulo post Mariam Philippi IV. Hispaniæ Regis Sororem in matrimonium accepit. At in Polonia, Constantia Sigismundi III. conjux, & Ferdinandi Cæsaris soror magno regis luctu repente extincta est, anno ætatis quarto & quadragésimo, filios superstites reliquit quatuor, Joannem Casimirum, Joannem Albertum, Carolum Ferdinandum, Alexandrum Carolum, & unâ filiam Annam Catharinâ.

[a] Cæterû rebus per Poloniam quietis, & vigentibus Ratisponæ Electoralibus comitiis belli Suedici initium è Pomerania extitit in quam, Rex Sueciæ Gustaphus Adolphus ineunte æstate occupata statim Vsedomia Rugiaq; Insulis, & intra Stralsondam præsidio accepto, reliquum exercitum exposuit. Præmissojam ante & evulgato per Germaniâ libello, quo novæ expeditionis causas invidiose deduxerat, quarum hæ erant præcipuæ. [b] Querebatur, literas suas ad Principem Transylvaniæ, interceptas à Cæsarianis. lectasque, & diverso quâ scriptæ erant sensu expositas. Legatos, quos ad Danicam Pacificationem miserit, contra jus gentiû, non modo non auditos, sed mox è solo Germanico jussos faceßere. Regi Poloniæ Cæsarem cõtra se auxilia misisse. Jam oppressâ armis Germaniâ, occupatis portibus obsessâ Stralsondâ Balthici maris imperiû, quod semper apud Reges Sueciæ fuerit, affectavisse. Multis mensibus Negotiatores Suecicos magno Reipublicæ dâno à cõmunibus cõmerciis repelli. Duces Meckelenburgii & Pomeraniæ vicinos & consanguineos, ditionibus suis spoliari. Opprimi libertatē & religionem Germanicam, auferri Protestantibus religionis suæ sociis opes & patrimonia, quæ per sæculû fere, quiete possederint. Sese cû hæc apud Cæsarem atq; electores per literas quereretur, ægre responso, & primo ne regio quidem titulo dignatum. Porro Gustavum multæ externorû Regum, Principûq; literæ, & promissa inflabâr, adventusq; ipsius vario animorû motu in Germania acceptus est. Gaudebâr qui superiorû rebellionû participes, aut edicto Restitutionis bonis omnibus, aut

magna

[a] 1630. Initium belli suedici. [b] Causa ipsius.

magna eorum parte exuti jam erant, vel exui timebantur, hos spes recuperandi perdita, alios retinendi quæ amittere metuebant, omnes commune austriacæ magnitudinis, & Catholicorum odium ad novum bellum stimulabat, quanquam prudentiores nonnulli suspectam non leviter habebant externi amici potentiam, haud ignari communi dominantium arcano, libertatem præferri dum servitus paratur. Inter Catholicos quoque non idem voluntatum consensus, multi moderandam edicti severitatem, & permittenda protestantibus aliqua ad tempus censebant, quo paci consulere-
tur, hæctenus invicta Cæsaris arma fuisse sed contra singulos, nunc commotis omnium patrimonii universos simul insurgere. Uno infelici prælio plus periturum, quam per tot retro victorias partum sit. At contra alii fortunæ, viribus & causæ Cæsaris omnia tribuentes insistendum cæptis affirmabant Universam Germaniam armis & fama Cæsaris obtineri, bellum quod Protestantes moliantur, numero & nominibus conspirantium magnum viribus elumbe, invalidumque, & exhaustis late provinciis haud diuturnum fore. Nectimendum magnopere Sueciæ Regem, qui in ipso belli conatu, intra Pomeraniam paratis exercitibus opprimi possit. Pro Deo, pro Religione, pro Patrimonio Ecclesiæ bellum geri, in quo breves molestias & incommoda defugere nemo bonus debeat; pericula vero & fortunæ adversitatem vereri, etiam impium sit.

[a] Cæterum Cæsari adversus novos hostes tantum fiduciæ supererat, ut plus quam triginta Legionibus missionem daret, quorum dein maxima pars ad Suedica castra confugiens, exercitum hostilem oportune auxit, his auxiliis Rex Gustavus & novis ex Borussia copiis confirmatus brevi totius Pomeraniæ potitus est, recepto, a Boguslao Pomeraniæ duce, Stetino, quod munitissimum ad Oderam oppidum iam diu sedem belli destinaverat. Præerat Pomeraniæ Torquatus de
Comi

[a] Florus correctus pag 227.

Comitibus, illi provinciæ à Wallensteinio impositus, vir senio & morbis fessus, exercitu quidem haud inferior, qui positus inter Gartium & Greiffenhagam castris, dum regis consilia ociosus observat, Ille interim haud deses Gripsvualdiam deditioe, Gartium ad spectante Torquato impetu capit, Secutæ aliæ urbes Colberga, Daminum, Greiffenhaga, jamque & ducatus Meckelenburgensi imminebat, occupatis Darmgarta, & Rubnitio maritimis oppidis ut ejectos inde Duces Adolphum Fridericum, & Joannem Albertum à Cæsare proscriptos, reponeret. [a] cum finito Lipsiensi conventu Protestantes conclamare ad arma cœpere. Conveniant Lipsiam Saxo & Brandenburgicus Electores, tum Principes, Marchionesque, & civitatum Imperialium legati magno numero, ibi sancitum fœdus contra edictum Restitutionis quod si non aboleri certe suspendi ad tempus volebant, donec auditis utrimque partibus res ea per comitia Imperii definiretur. Simul contra militarem licentiam, & magnitudinem tributorum graviter questi, ad sui quisque defensionem scribere milites non admissis Cæsareis decernunt, promisso mutuo auxilio, si quis primum invaderetur. Interea Rex Gustavus Francofurtum ad Oderam vi cæpit, inerant sex millia Cæsareanorum sub Barone Tieffenbachio, flos haud dubie & robur exercitus Pomeranici, ex quibus duo millia cæsa, mille capti, reliqui aut fluvio hausti, aut alias in terras dispersi, pauci admodum, cum Tieffenbachio, & Schavenburgio ducibus in Silesiam salvi evasere, magnam ibi com meatuum & bellici apparatus copiam Sueci invenerunt, magno Tillii dolore qui paulo ante occupato Neobrandeburgo tum audito Francofurti periculo mox & amissione, Jam Magdeburgum totis viribus edomabat Magdeburgi Archiepiscopatus erat inter ea quæ Catholicis restitui ex edicto debebant. Quem, ut è manibus protestantium vindi-

[a] *Conventus Lipsiensis 1631. arma Protestantium.*

vindicaretur, Imperator filio suo, per cōcessionem Summi Pontificis procuraverat. [a] Canonicis qui omnes Hæretici erant Augustum Saxonæ electoris filiū concordibus suffragiis, nominantibus. Urbs Augusta in suæ Religionis principem propensior, diu mandatis Cæsaris restitit. Jam verò Regis Sueciæ advētu, & novo Lipsiensi fædere confirmata, vim atq; arma parabat. Inerant urbi Christianus Wilhelmus ex Marchionibus Brādeburgicis, administrator Magdeburgēsis, sed à Cæsare proscriptus, priuatusq; ea dignitate, & Theodorus Falckenbergius, Legatus Suedicus, his authoribus experiri cives extrema decrevere. Expugnata est majo mense, & paucarum horarum spacio incineres redacta, præter Basilicam, & Divæ virginis ædem, ægre à Catholicis servatam dein paucas aliquot & piscatorias casas nihil superfuit de urbe Germanicarum omnium pulcherrima. Causam repentini incendi quidam in victorem militem, alii in oppidanos ipsos conferunt, ego propius vero existimo, milites prædam magis & opes quam brevem ex incendiis ultionem quæsisisse; quanquã non abnuerim concitando terrori paucas domos à milite incensas, mox incuria, ventoque & invidia oppidanorum, ut amissam jam prædam victoribus eriperent subditis faucibus totã urbem cōflagrare cæpisse, nihil deinceps ambigentibus victis ferro an flamma caderent. Cæforum numerus incompertus. Pauci capti sunt, reliquos aut ira victorū aut ignis absumpsit, qui sequentibus diebus inter rudera semiusti, aut in cellis subterraneis fumo metuque enecti, magno numero reperti sunt, Certe Tilius, in quem ab adversariis hujus excidii invidia confertur, nihil omisit, quin expeditis identidem literis ad maturandam deditioem obsessos hortaretur, cum hæc nihil proficerent, necesse erat ut vi cogerentur, captaque jam urbe in potestate ducis non erat, procidentis velut uno impetu ruinam inhibere. Dignum est observatu, quod de præfagio excidii hujus memorant qui

[a] *Magdeburgum à Tilio obsessum & expugnatum.*

interfuere. [a] Quo tēpore Hammeliæ apud Visurgim Tillius cū Papenheimio, Gronsfeldio, Rupa & Lerchenfeldio de obsidione [b] Magdeburgensi consultabat, ingens repente ventorum vis coorta est, quæ non modo tegulas omnes tectorum magna strage dejecit, sed molam etiam Pulverariam incendit, convulsitque, tanto fragore impetuque ut terræ motum aliquem esse opinantes, Tillius, atque ejus exemplo cæteri consultores in genua provoluti, iram à se numinis deprecarentur, eodem plane momento, Magdeburgi, quod quinque & viginti miliaribus Hammelia distat eadem tempestas grassata, culmina aliquot turrium dejecit.

Porro post eversum [c] Magdeburgum Principes Protestantes in Societatem Regis Sueciæ palam transeunt. Neque Saxo ultra cunctatus est, post quā Tillius, frustra præmonito Saxone ut Lipsiensi fœderi renunciaret, in provincias ipsius irruptionē facere aggressus est, occupato Merseburgo Weissenfelda, Freiburgo, mox & ipsa Lipsia. Igitur Protestantes junctis cum Gustavo castris Lipsiam versus in Tillium movent. Confederat is prope Lipsiam loco oportuno, muniebatque castra, haud quamquam prælio certaturus, nisi Aldringerius, Gronsfeldiusque cum copiis quæ in Franconia & Hassia viginti quatuor millia erant, ad se pervenissent, sed retemeritate Papenheimii, ut perhibent, in extremum pugnæ discrimen adducta est. Is impetratis à Tillio duobus equitū millibus ad exploranda hostium castra seu impetū naturæ, seu imbecillitate oculorum longius proventus est quam ut se inde sine pugna eriperet. Itaque petenti duo alia millia auxilio mittuntur, simul jubet Tillius denunciari nolle se copiam prælii id temporis facere, eriperet se inde quoquo modo, nisi securam cladem capite suo mallet expiare. [d] Sed jam celeritate hostium postremi quoque circumventi erant,

Ergo

[a] Flor. correctus pag. 205. Lotich. lib. 37. c. 6. [b] Omen excidii Magdeburgici. [c] Protestantes conjungunt se cum Susco. [d] Florus pag. 236.

Ergo aut pugnandum, aut deserenda quatuor millia equitum erant, quibus amissis haud dubie ad oppugnanda castra hostem venturum, quæ tanta parte exercitus cæsa difficile retineri possent. [a] Eo in periculo deprehensus Tillius statuit periculum prævertere, aciemque ausus, afflictis non modice Saxonice copiis, Suecorum tandem virtute numeroque memorabilem cladem accepit, tormentis impedimentisque, & optimâ parte exercitus multatus, inter quos Otto Fridericus Baro Schoenburgicus, & Theodorus Othmarus Eruitius fuere, hic vigiliarum, ille Tormentorum, summi præfecti. Adolphus Holsatiæ Dux biduo post ex vulnere obiit. Hæc est funesta ad Lipsiam clades quæ omnem retro victoriarum fructum uno velut momento pessundedit. Seroque docuit, quanto satius sit civilibus discordiis maturata pace finem imponere. Post id prælium Saxo recuperatis quæ in [b] Saxonia Cæsariani obtinebant, Bohemiam invadit, & Praga ipsa potitur, Rex Gustavus recta in Germaniam ducens Erphordiam, Sueinfurtum, Francofurtum, Herbipolim ac totum illum Franconiæ & Rheni tractum uno impetu invadit, Inde Rhenum prope Oppenheimium sine ponte transgressus, relicta ad memoriam columna, Moguntiam occupat, cui duo Hispanorum millia discedens Coloniam Elector imposuerat. Inter hæc Manheimium, Heilbrunnam, Spiram, Argentoratum, Landaviam, Fridbergam ac totam Veteraviam per legatos Bernardum ducem Vinariensem, & Gustavum Hornium pari fortuna suæ potestatis facit. Jam quoque Colonia trepidabatur, auxerat terrorem ingens multitudo exulum Catholicorum, inter quos & quidam Principes magni nominis, qui patria, & magnam partem fortunis exturbati eo se ad asylum receperant. Fama est Regi consilium fuisse importatis in navigia tormentis, Coloniam aggredi, illiciente maxime præda quàm in urbem ex se prædi-

[a] Tillius apud Lipsiam magna clade funditur. [b] Saxonis & Sueci progressus.

prædivitem, profugi magno numero de posuerant, hoc quoque causæ partium momentum additurus, si urbem Catholici nominis inter Germanicas potentissimam, quæque una novos exercitus scribere & instruere posset, à Cæsare abstraxisset, sed fortuna aut Divi urbis tutelares, imminens periculum alio divertere, nam Rex inopinata Hornii clade, quem Tillius omnia Norinbergæ obsidione apud Bambergam campo exegerat, percussus ad persequendum delendumque Tillium, quæ unus victoriæ cursum moraretur, subito in Franconiam cum omnibus copiis movit.

[a] Sub finem anni hujus in Italia mons Vesuvius Neapoli vicinus horrendum incendium concepit, concussis circa oppidis vicisque, & præsertim Neapoli, ut nullum inde ædificium damnatum non senserit, Mons autem primum atras nubes evomuit, tum erumpentes immensi flammæ globi, ingenti cum fragore, tonitruoque, finem rerum humanarum, ac plane ruituri mundi speciem præ se ferebant. Septima decembris, flamma quæ montem pluribus locis perfregerat, torrentis instar ad radices montis procurrere homines, pecudesque & villas atque obvia quæque impetu inevitabili rapuit, absumpsitque. Simul lapides ingentis magnitudinis è faucibus montis ejecti, multos qui sibi tempesta fuga non prospexerant, interemere. [b] At in Gallia inter Reginam matrem & filium Regem grave dissidium ortum est, invidia uti ferebatur Joannis Armandi, Cardinalis Richelii, qui publicorum negotiorum supremus arbiter, non Reginæ modo sed multorum procerum in se odium concitavit. Regina mater Compendii primum attempta, elapsis custodibus in belgium ad Hispanos evasit. Secutus matrem filius Dux Aurelianensis, contra fratrem Regem ope Hispanorum bellum instaurat, pertracto in partes suas duce Momorantio, sed infaustra utrique expeditio fuit, Calendis Septembribus (1632.) ad Castelnardarium prælio certavere, in quo victus

Aure-

[a] *Incendium Vesuvii.* [b] *Turba Gallica.*

Aurelianensis, una cum saucio Momorantio in potestatem Regis pervenit. [a] Momorantius à Concilio Tholosano rebellionis damnatus, capite punitus est, quem ille casum fortiter juxta, religioseque sustinuit annorum quinque & triginta. At regis frater Gasto Borbonius Dux Aurelianensis post hanc cladem cum fratre in gratiam reversus, mox inexpectato Momorantii casu offensus, seu quod non satis fideret regi, iterum ad matrem in belgium confugit. Per idem tempus Sigismundus III. Poloniae Rex fatis concessit, anno ætatis sexto & sexagesimo, ex quibus quinque & quadraginta imperaverat. Princeps omnibus pietatis & Regnandi artibus commendatus. Uxores duas habuit, Annam Austriacam ex qua Uladislauus primo genitus, patri per suffragia procerum surrogatus est: & Constantiam Ferdinandi secundi Cæsaris sororem cujus liberos supra memoravius.

Jamque (1632.) [a] Tillium in Bavariam usq; Rex Gustavus compulerat, & Gronsfeldius, Pappenheimiusque ad Visurgim à Tillio relictis, receptis aliquot oppidis, & liberato Magdeburgo, quod Bannerius Suedicus ductor obsederat, haud sane tantam hostium fortunam æquare poterant, Igitur Cæsar de novo exercitu & duce sollicitus Albertum Wallensteinium Fridlandiæ ducem, quem nuper rogatu Electorum ex autoraverat, revocare instituit. Is admissa tandem ea præfectura, ita ut penes se unum, summum belli pacisque arbitrium esset, dum Rex Bavariam invadit, In Moravia, vicinisque Austriacis provinciis novum exercitum conscribit, confluitque ad nomen Wallensteinii mox ingens numerus, luppeditante pecuniam Cæsare, & ipso Wallensteinio, qui iis in occasionibus minime tenax, hautquaquam pecuniæ parcebat, Interea Rex occupata Donavverda Danubium transivit secuta Regem

[a] Momorantius capite plexus, [b] Wallensteinus sit generalissimus.

gem Maria Eleonora conjux, quæ paulo ante è Suecia ad Regem Francofurtum pervenerat, & Fridericus Comes Palatinus ex Hollandia itidem felicibus Regis progressibus ad spem paternarum ditionum revocatus, [a] Confederat Tillius cum Bavaro haud procul Rayna apud Lychum amnem, qui Bavariam Sueviamque medius interfluit. Rex æstimato loco, etsi difficile providebat cum adversa circum litora hostes tenerent, copias transponere tamen fortunæ suæ innixus statuit transitum tentare, haud multum supra Tilliana castra eminentibus ripis disponi tormenta imperat, duo & sexaginta fuisse tradunt, pleraque muralia; tum allata undique materia sub noctem magna militum alacritate pontem struere orditur, excitata per diem densa fumi nebula, tegendo operi. Pons biduo perfectus mox eo peditatum, equites vado transmittit, Ibi acris pugna committitur hinc Rege, illic Tillio suos voce & manu animantibus. At Tillium fortuna magis quam virtus destituit, Dum enim non ducis magis quam militis officio strenue fungitur dextro in femore sesqui-librali globo ictus lethale vulnus accepit. Aldringerius quoque & præcipui Tribunorum faucii pugna excesserant. Tum Bavarus dato receptui signo Neoburgum primo, [b] Inde Ingolstadium exercitum reduxit, ubi paulo post Tillius ex vulnere obiit. Vir militarium virtutum inter duces ævi sui summus, ac plane triumphalis senex, nisi ad extremum offendisset raro sempiterna felicitas. Opum & pecuniæ nequam appetens. Quantum alienus à castrensibus vitiis, tantus disciplinæ militaris observator, cui ad extremum multa indulgere, non procedentibus stipendiis, nulla sua culpa necessitas expressit. In consilio nec præceps, nec pertinax sui, aut alieni contemptor. In acie promptus manu, & ubi periculum posceret nullo mortis metu, consulendo, hortando, agendo

[a] *Tillius ad Raynam funditur.* [b] *Moritur Ingolstadii ex vulnere.*

agendo laborantibus aderat. [a] Ut propterea beneficio, aut magicis quibusdam amuletis duratum, atque impenetrabilem fuisse vulgaverint adversarii; communi vulgi errore neminem in bello nisi ope mali Dæmonis servari posse credentium. Sed ab hoc militiæ de honestamento Tillium non minus vitæ sanctitas, quam diversa vulnera, & demum mors ipsa absolvit. [b] Cæterum Rex minore, quam speraverat, incommodo, aditu Bavariæ potitus, postquam recessisse hostes Ingolstadtium comperit dimissis expeditis qui fugientium postremos exciperent, ipse cum reliqua parte Augustam Vindelicorum contendit, non procul inde ad Lycum sitam. Ibi lætis animis à civibus exceptus, amotis è Magistratu Catholicis, ejectos nuper Lutheranos in locum ordinemque restituit, tum re militari civicaque ordinata, & præsidio imposito omnibus copiis Neoburgum primo, tum Ingolstadtium movit. Oppidum id natura atque opere munitum numeroso præsidio Bavarus obtinebat, statueratque contra vim omni ope tueri. Erat omnino Regi difficilis oppugnatio, cum interflueret Danubius, & Pons qui utramque ripam committit firmis munitionibus, validoque præsidio tenebatur. Ad hæc adjuncta urbi propugnacula, & tuebantur pontem, & adversos hostes continuis jaculationibus infestabāt. Tamen decrevit Rex impetum facere in munitiones Ponti præstructas rejectusque semper cū damno, cum non absisteret consilio præsentiaque suis adesse, haud procul extremo vitæ discrimine abfuit. [c] Nam equus, cui insidebat Rex, tormento ex vrbe prostratus vectorem suum illæsum deposuit cum Christophoro Marchioni Badensi alter ex vrbe globus caput & vitam momento abstulisset. Interim Bavarus Ingolstadii securus, Ratisponam Suedicis progressibus haud dubie faventem, atque in partes non gravate ituram,

[a] Ioan. philip. Abelinus de bello Suecico In pugna Lipsiensi. [b] Suecus vastat Bavariam. [c] Regis Suecicæ periculum.

ram, immisso validiore præsidio civibusque exarmatis, in fide Cæsaris retinuit. Quæ res stimulavit Regem ut omisso Ingolstadio in interiorem Bavariam cum omnibus copiis festinaverit. Mosburgo, Landishuto, Frisinga aliisque ad Haram locis uno impetu occupatis. Neque Monachium vel unius diei vim experiri voluit urbs splendidior quam firmior, & sedes Ducum. Multum ibi prædæ, commeatumque, & bellici instrumenti partum est, [a] Centum & quadraginta tormenta ænea reperta, Augustam & alioversum deinde avecta sunt. Huc in modum omni intra Oenum Bavaria hostiliter evastata, & spoliis avectis Rex, Relicto in Svevia Vinariensi, cum reliquis copiis Donaverdam, & inde Noribergam in Superiorem Palatinatum contra Bavarum movit, qui Regiæ multitudini impar, id agebat ut cum Wallensteinio castra conjungeret. [b] Jam enim Wallensteinus triginta millium exercitu omnium opinione celerius collecto, lustratoque, Pragam, Egramque & totam Bohemiam ejectis inde Saxonis recuperaverat. Mense Junio Egræ convenere, rectaque in Palatinatum ducunt, prælio decertaturi si Rex pugnandi copiam fecisset. Is audita conjunctione, apud Noribergam castra posuit, munivitque satis habens differre hostem, dum diversis è partibus Bannerus, & Vinariensis, Saxonica dein, & Hassica auxilia convenirent, Quæ ubi adfuere, expleto ad sexaginta millia exercitu, haud ultra cunctandum ratus, nam etiam inopia pabuli, & commeatum laborabat, quæ hætenus Norinbergenses suppeditaverant, Ipsa Cæsariana castra adoriri constituit. Audax facinus, neque ducibus ipsius, nec postea eventu probatum. Munierat castra Wallensteinus cum Bavaro juxta Pegnesum fluvium, qui Norinbergam interfluit, loco edito, quem montem veterem vocent, [c] Ibi Rex dissentientibus plerisque vallum & munita castrorum diversis locis aggreditur, bis oppugnat

[a] *Piassec. & Lotich. lib. 47. c. 7.* [b] *Vvallensteinii gesta.*
 [c] *Sæecus castra Vvallensteinii aggreditur.*

gnatio tentata, donec nox pugnantem dirimeret. Major Suecorum clades extitit, quippe loco iniquo dimicantium. Tum Rex ingruentibus tenebris & clade suorum absteritus receptui cecinit, amissis ut minimum quatuor millibus. E Cæsarianis non plures octingentis desiderati sunt inter quos Jacobus Comes Fuggerus, & ex Italicis proceribus Ferrandes de Caraffa, & Aldobrandinus Chiliarchæ. Wallensteinio, & Bernardo duci Vinariensi, equi, quibus infederant, interfecti. Regi extremam ocreæ partem, globus pede illaeso abripuit. Inter captivos Suegicos fuit Leonardus Dorstensonius armentarii magister, Is qui postea summus armorum præfectus multis victoriis rem Suevicam adversus Cæsarem stabilivit. Rex improperæ aggressionis ignominia magis quam damno irritatus, postquam dies aliquot quievisset, desperata hostis extrahendi copia, & arctiore iadies re frumentaria pressus, exercitum per Franconiam Bavariamque & agrum Wirtenburgensem distribuit. Idem consilium Wallensteinio fuit, quem non minus comæatum & pabuli difficultas urgebat. Itaque Gallassium cum parte copiarum in Misniam, Bavarum ad sua tutanda cum Aldringerio dimittit. Ipse tentata per literas Noriberga paucis diebus Galassium sequitur præparandis hiernis, aut divertendis Saxonis conatibus, qui duce Arnemio Silesiam irrumpens Gloggoviam, & Uratislaviam aliaque oppida nullo resistente cæperat. Jamque in Moravia & Austria timebatur, nec in Holquio, quem cum paucis legionibus Wallensteinus Bohemiæ præsidio reliquerat contra tantam vim spes erat, etsi distrahendo Arnemio cum parte suorum Misniam invaderet. [a] Sed Saxo intellecto Cæsarianorum cõsilio Regem prope periculi admonuit, revocatoque ex Silesia Arnemio omnem in se belli molem traxit. Non segnius jussu Wallensteinii Pappenheimius accurrit. Is cum duodecim millibus Visurgi tuendo relictus, variis cladi-

dibus

Belli moles in Saxoniam vertitur.

131.

dibus per eam ætatem nunc Landgravium Hassiæ, nunc
 Ducem Luneburgicum, nunc Suedicarum partium du-
 cem Baudisium aliosq; affecerat, ingenti nominis fama
 per universam Germaniam, quippe numero & viribus
 inferior, celeritate & astu firmioribus prævalebat, adeo
 ut ne clades quidem ipsius gloria fortitudinis caruerint.
 [a] Trajectum nobilem apud Mosam urbem Hollandi
 obsidebant, haud procul inde Hispani castra fixerant
 numero & viribus inferiores. Igitur evocatus auxilio
 Papenheimius non dubitavit munimenta Hollandorū
 adoriri majore sane animo quam consilio. Is tamen ag-
 gredientium impetus fuit, ut expugnari castra potuisse
 creditum sit, si idem animus Hispano duci cum suis fu-
 isset, qui siue desperatione victoriæ, an quod Germano
 nomini liberandæ urbis gloriam invidebat quod multis
 suspicari pronum fuit, suos intra castra quiete cōtinuit,
 ne commotis quidem tympanis, aut simulata saltem
 aggressione, quod ad terrendos hostes Papenheimius
 enixe postulaverat. Ita desertus Papenheimius post sex
 horarum egregiam pugnam, majore deserētium igno-
 minia quam sua, non modicam cladem accepit, mox
 inde in Westphaliam revertēs intercepto ex itinere Hil-
 desheimio ad Wallensteinium iter instituit, qui variis
 in Misnia locis, atque ipsa Lipsia potitus cum Papen-
 heimio, Holquio, & Galassio castra conjunxit, cum de
 advētu Regis Sueciæ certior factus est, qui festinatis per
 Franconiam itineribus cum Bernardo Vinariensi duce,
 Electori Saxonix in auxilium properabat. Triginta tum
 millia Regi fuisse, paulo plures Wallensteinio diversi
 tradidere, Neque Rex temere Cæsarianos aggredi fe-
 stinabat, etsi Wallensteinus ad Weissenfeldam æquo
 loco aciem obtulisset. Quem ubi Lutzenium discessisse,
 dimisso cū parte exercitus Papenheimio uti Hallas in-
 terciperet, intellexit, cōfestim cū omnibus copiis eo cō-
 tendit. [b] Aciem ejus hunc in modū dispositam ferunt.

c 2

Dextrum

[a] Papenheimius Trajecti liberationem frustra tentat.
 [b] pugna ad Lutzam.

Dextrum cornu Rex ipse cum Svecis & Finnonibus, Sinistrum Bernardus Vinariensis cum Germanis obtinebat, peditatu in medium recepto, Nicolaus Comes Weissenburgicus præerat. Dodo Kniphauſius cum idonea equitum & peditum manu terga firmabat. Ita ordinibus instructis, militesque suo more cohortatus, in hostem duxit. Porro ambigenti adhuc de pugna Regi, equites summo mane candidum vexillum, cui imago victoriæ intexta fuerat, obtulere, id omnem secutus pugnam decrevit. Wallensteinius postquam advenire Regem prælio paratum intelligit, revocato propere Pappenheimio & ipse copias disponit. Præducta aciei duplex fossa, quas majoribus Sclopetariis implevit, retro hos tormenta longo ordine collocavit, tum circa latus utrumque alæ equitum, adstabant. Paulo ante n. eridiam commissæ acies, in seram usque noctem prælium traxere, Nusquam alias toto hoc bello infestioribus animis concursum, [a] Rex ipse Gustavus primo impetu multis vulneribus cōfossus cecidit, incertū cuius manu, aut qua in parte, Ipsi scriptores variant, & qui prælio interfuere aliter atque aliter narrant. Sunt, qui putant, in prima equitum aggressione, Regem sinistro brachio trajectum, cum Alberto Francisco Duce Lavenburgico pugna excedere voluisse, exceptumque ab obvia hostili turba ignorante quem occideret, interfectum. Alii nondum cepto prælio cum duobus famulis ad explorandam hostium stationem longius progressum in turmam equitum Cæsarianorum incidisse memorant, & ab ignaris cæsum. [b] Ut ut sit, equus Regius cruore respersus & cum anhelitu ad suos revertens infortunium Regis vulgavit. Neque propterea Sueci animum despondebant. Bernardo Duce Vinariensi omnia mox Regis munia subeunte, Jamque Cæsariani nutabant, cum in tempore adfuit Pappenheimius. Ita prælium restitutum, in quo lethale vulnus [c] Pappenheimius accepit.

CX

[a] *Rex Suecia interficitur.* [b] *Lotich. lib. 53. cap. 7.*[c] *Pappenheimius cadit.*

ex quo haud multo post obiit, cum paulo ante de morte Sueciae Regis latus cognovisset. Ambiguam adhuc victoriam nox diremit, quam Wallensteinus desertis tormentis hosti concessit, prima noctis vigilia Lipsiam, ac deinceps omnia Saxonia ad reparandas vires in Bohemiam contedens. Suedica acies noctem eam in campo inter arma transegit, nequaquam novam impressionem latura, si is animus Wallensteinio fuisset. Cecidere in acie novem fere millia; caesorum numerum utrinque aequante fortuna. Sed cladem Caesarianorum mors Regis compensavit. Repertus est inter cadavera spoliatus, obtritusque atque adeo vix agnitus a suis. Atque huc tandem recidit omnis illa gloria qua universam Germaniam victricibus armis complexus, vindex Germanicae libertatis ac tantum non pro Deo ab adversariis Caesaris colebatur. Qui utcumque virtutes ejus deprædicent, quorum multas egregias in ipso fuisse non inficior, [a] certe temeritatem non negaverint, quod stante adhuc acie, neque vlla re tantum periculum summi ducis urgente, se in apertum vitæ discrimen incautus intectusque projecit. Adeo & ratio prudentissimos, & felicissimos fortuna destituit, quos longa indulgentia in humanae fragilitatis oblivionem induxit. Caeterum Gustavo tam fuit fatale vincere, ut cum victoria caderet. At Catholici tanquam justa victoria potiti, certe gravi hoste liberati festis ignibus, & triumphali apparatu hoc prælium celebravere, de quo gaudio non parum detraxit mors Henrici Godefridi Comitis Pappenheimii, qui plane martialis animi & Catholici exercitus Achilles, celeritate, consilio, fortuna cum magnis ducibus certavit, nemo in toto exercitu miles fuit, qui plures in facie ac toto corpore cicatrices prætulerit.

Non multo post Pugnam Lutzensem [b] Fridericus Elector Palatinus, conspirantibus quasi fati in præcipuos Caesaris hostes, febris correptus, diem extremum Moguntiae obiit, relicta vidua Elisabetha Britannica, &

c 3

ex ca

[a] Interesse Statuum cap. [b] palatinus moritur.

ex ea decem liberis. Princeps, uti ferebatur moderatæ indolis, sed uxoria ambitio, & pravi senatores in præcipitia consilia juvenem impulere, ex quo ducem se rebellionis bohemicæ præbuit prælio simul & bello victus, mox regno, patrimonio, & avitis dignitatibus exutus duodecenne exilium aliena munificentia toleravit. Obiit sub idem tēpus Carolus Regis Hispaniarū, & Leopoldus Archidux Austriæ Cæsaris frater, in Gallia Henricus Comes Schonebergius Regii exercitus supremus Mareschallus, & Franciscus Vaudemontius Dux Austrasiæ. At in belgio Henricus Comes à Monte, desertis Regiis partibus ad Hollandos transfugiens res Hispanicasturbavit, Quo facilius Princeps Orangiū Henricus primum Venlonā dein Trajecto potitus est.

Interea dum ad Lutzenium pugnatur In Alsatia & Palatinatu Hornius & Rheingravius Suedici ductores Benfeldam Hagenoam, Friburgum, Franckenthalium frustra resistantibus Cæsareis alia vi alia deditio occupant, cum interim diuertendo [a] Pappenheimio Guiliehnus Baudisius in Diœcesin Coloniensem irrumpit, capto Lintio & Andernaco, ex quibus agrum Coloniensem diu infestum habuit. Tuitium quoque in altera Rheni ripa contra Coloniā situm, nocturna aggressionē ausus tentare non sine clade postridie à Præfidiariis Coloniensibus rejectus est. Porro victoriam illam Colonienses haud lætam habuere, nam Tuitii dum in templo, advectum una, pulveris tormentarii vas inter milites distribuitur, forte incensus pulvis uno momento, totum ædificium corripit diruitque magna & inevitabili strage circumstantium, quos flamma subito erumpens, aut tecti, & collabentium parietum ruinæ extinxere. hæc sub finem anni hujus (1632) gesta sunt, cujus initio Philippus Christophorus Elector Trevirensis dominantibus per Germaniam Suecis &

jam

[a] *Gesta ducum Suedicorum.*

[b] *Sueci infestant agrum Coloniensem.*

jam Rhenum transgressis, idem ditioni suæ, quod jam Moguntino, acciderat metuens, dein & odio Hispanorum, obnitentibus licet provinciæ ordinibus, ad Regis Galliæ auxilium respexit, tradito ei Ehrenbreitsteinio validissimo ad Rhenum munimento. Haud multo post Augusta Trevirorum specie reducendi Electoris, qui metu ordinum Hispanorumque inde profugerat, à Gallis capta & valido præsidio firmata est.

(1633.) At in [a] Bohemia Wallensteinus distributo per hiberna exercitu, animadvertit in eos, qui proximo Lutzensi prælio locum aut officium deseruisse arguebantur, Mense Februario Pragæ de reis supplicium sumptum est, eo majore commiseratione, quod Wallensteinus nullis se precibus, non ætate, opibusq; aut familia cujusquam, à concepta semel severitate flecti passus est. Reliquum dein hyemis & maximam partem æstatis reparandis viribus & inani pacis tractatione cum Electore Saxonie consumpsit, internuncio Arnhemio Saxoniarum copiarum supremo duce, nunc hoste, nuper in bello Danico comitum ejus præcipuo fidissimoque. [b] In Suevia Aldringerius occupata per deditioem Memminga, Campidunum vi capit. Verus id est oppidum Almangavia & Principali abbatis celebre. Ducenti inerat præsidarii Suedici, quorum virtutem civium pertinacia vicit. Ne fæminis quidem animus aut audacia defuit, quin viris militibusq; immixtæ, fervidam aquam, saxa trabes, quæque alia furor & locus arma suggerebant in oppugnantes devoluerent. Quæ res festinavit exitium contumacis urbis; Impetu igitur capta, ferro & flamma tantum non deleta est. Interim Gustavus Hornius raptis ex Alsaria copiis, ut Aldringerii conatibus obviam iret, cum clade in Wirtenburgensem agrum trans Danubium rejicitur.

Cæterum Protestantes, [c] & fœderatos Germaniæ Principes amissus Sueciæ Rex, partium caput, nequaquam

[a] Vvalleusteinii severitas. [b] Aldringerius in Suecia.
[c] Fadus arctius protestantium cum Suecis.

à consiliis belli abstertuit. Ictum est Heilbronnæ, dein
 Francofurti arctius fœdus, authore Axelio Ochsenster-
 nio, supremo Sueciæ Cancellario, decretumque ab ar-
 mis non recedere, donec libertas Germaniæ Religio-
 nisque redderetur, eidem Ochsensternio consiliorum
 summa permiffa, Militare imperium iis ducibus reli-
 ctum quos Rex ipse instituerat. Bernardo duci Vinari-
 ensi, Gustavo Hornio, & Joanni Banniero, Qui novo
 mox delectu auctis exercitibus diversis partibus Ger-
 maniam vexabant. Vinariensis Franconiam Bavariam-
 que Hornius Alsatiam, mox Sueviam, Heluetiosque
 obsessa nequicquam Constantia infestabat. [a] Nullibi
 major quàm apud Hammeliam eo anno clades accepta
 est, obsidebat eam urbem Georgius Dux Luneburgicus,
 qui Hassicis & Suedicis copiis firmatus, postquam in-
 currentes in se Cæsarianos magna strage fudisset, Ham-
 melia & toto ad Visurgim tractu potitus est. Non mi-
 nore Cæsaris incommodo sub finem anni, Vinariensis
 Ratisponam interceptit, prona civium voluntate, & mo-
 dico præsidio infestam, Transgressum inde in Bava-
 riam, & insperata victoria exultantem multis cladibus
 intra Isaræ fluminis ripas [b] Joannes Verdanus coër-
 cuit, paucis quidem, sed strenuè & fido milite, Is ex agro
 Juliacensi belgicam militiam sub Rege Hispaniæ au-
 spicatus, mox ad partes Cæsaris & Bavari transgressus,
 egregiis facinoribus cepit clarescere promptus manus
 atque ubi glisceret periculum non sane felicior quam
 fortior. Eodem tempore Mediolanensis Gubernator
 Dux Feriæ cum validis Hispanorum copiis in Germa-
 niam contendit rejecto Hornio ab obsidione Constan-
 tiensi, adjunctus ei [c] Aldringerius cum Bavaricis co-
 piis haud quicquam reliqua æstate perfecit non sane in-
 ertia, cum novam sibi posterisque nobilitatem egregiis
 factis meruerit, sed inhibuerat Wallensteinus, mor-
 tē interminatus si quid moliretur. Neq: Dux Ferianus
 solus

[a] Clades ad Hammeliam. [b] Joannes de Verdt de-
 fendit Bavariam. [c] Dux de Feria.

solus hostibus par fuit. Qui captis ad extremum in Ba-
 varia hibernis non multo post mærore aut fato extin-
 guitur. Interea Suedici haud feriabantur toto pene Pa-
 latinatu in potestatem redacto, atque ipso Philippibur-
 go quod deinde Gallis tradidere. Qui paulatim Germa-
 nicis discordiis imminentes, Nancejum præcipuum Lo-
 tharingiæ oppidum, & pleraque ad ducem eum spe-
 ctantia hostili more invadebant. [a] Interea Wallen-
 steinius præcipiti jam æstate quam tractanda cum Sa-
 xone pace consumpserat, dum spes ea frustra fuit, re-
 pente apud Stenaviam, munitum Oderævicum, Comi-
 tem Turrianum & Tubaldium cum omnibus copiis
 cingit, atque ad deditorem cogit, Gregarii omnes sub
 signa compulsi, Turrianus & Tubaldius cum paucis
 superiorum ordinum Ductoribus sine lytro dimissi,
 eam Victoriæ toto mox Silesia secuta est, pauca oppi-
 da vi, pleraque per deditorem recepta. Fine anni Isa-
 bella Clara Eugenia longæva Belgii gubernatrix mori-
 tur octavo & sexagesimo anno ætatis, cui jam successo-
 rem ordinaverat Rex fratrem suum Ferdinandum Car-
 dinalem, cum paulo ante Hispani Insulam S. Stephani
 haud procul Trajecto, Hollandi Rheinbercam cepis-
 sent. Ferdinandus Cardinalis cum tota æstate Barcinone
 in Hispania præparandis ad bellum necessariis substi-
 tisset, audita morte Isabellæ & mox conspiratione Wal-
 lensteiniana iter in Germaniam maturavit. [b] Sed Wal-
 lensteinus in ipso conatu rerum novandarum cum so-
 ciis oppressus locum dedit Cæsaris Filio Ferdinando
 Regi Hungariæ ut regimen rerum militarium in se su-
 sciperet.

[c] Per idem tempus in Polonia Uladislaus IV. Sigis-
 mundo patri in regnum consensu procerum surrogatus
 felici adversus Moscos bello regni initia auspicatus est.
 Mosei inducias quas cum Sigismundo pepigerant, rati
 morte ejus expiravisse, Smolenscum obsidione circum-

c 5 venerant,

[a] Wallensteinus cedit Saxones [b] Interficiuntur.

[c] 1634 Res Polonicæ.

venerant, tum confinia Lituaniæ hostili more popula-
bantur. [a] Rex Uladislaus præmisso Christophoro
Rativilio Lituaniæ militiæ præfecto, mox ipse in ca-
stra ad ripam Borystenis venit, liberatoque Smolensco
castra hostium tota hyeme obsedit, rededitque in eas an-
gustias Moscos, ut vitæ ac libertatem inde abeundi pa-
cti, Impedimenta atque omnem apparatus bellicum
potestati ipsius reliquerint. Inde cū infesto exercitu fu-
gientes pene ad ipsam Moscuam profectus tandem ad
pacem cōpulit. Smolenscum Polonis permissum, & Se-
veria provincia ducetos jam annos à Lithuania avulsa,
cum magno pecuniæ & pellium pretiosarum numero
restituta. Sed Tartaros & Turcas à Moscis in auxilium
accitos Stanislaus Conjeppolius, positus apud Came-
neciam castris, multis cladibus compescuit, Authorem
belli hujus Abazium Bassam egregiis adversus Persas
præliis clarum ducem, Imperator Turcarum strangula-
ri jussit, & mox Pax cū Polonis renovata, Paci Turcicæ
& Moscoviticæ Suedica successit ad annos sex & viginti
pacta conciliante Claudio Memmio de Auaux Gallico,
& Duglajo comite, Anglico, aliisque Prussiæ ducis, &
Hollandorum oratoribus. Sed quietum ab externis ho-
stibus regnum domestica funera turbarunt. Duo regis
fratres eodem pene tempore mortem obiere, Alexāder
natum minimus Varsoviæ, & Joannes Albertus Cardina-
lis, idemque Episcopus Cracoviensis, Patavii, anno ætatis
tertio & vigesimo, biennio major Alexandro.

[b] Inter hæc Rex Hungariæ Ferdinandus supremam
Imperatoris militiæ præfecturam post interfectū Wal-
lensteinium adiit, obsessa mox Ratispona quam Suedici
quatuor millium præsidio obtinebant. Ea spacio sex Se-
ptimarum potitus est, etsi hinc Sueci in Bavaria, illic
Saxones in Bohemia ut regem à Ratispona averterent,
immissis exercitibus popularentur, Saxones Pragæ infi-
diates Lambojus parva manu feliciter repressit, Vinari-
ensem & Hornium Bavariam incurstantes melior fortuna

na ex-

[a] *Pisecii Chronicon.* [b] *Ferdinandi 3. gesta militaria.*

na excepit multis ibi locis interceptis, & demum prodigato apud Landsthutum Aldringerio, qui ibidem apud pontem fortissime dimicans occubuit. Luxemburgus fuit natione, modicis facultatibus, sed ingenio & manu promptus, tum natura vini abstinens, facile operam suam Cæsari & Bavaro probavit. Hinc opes & nobilitas ad quam per bonas artes ascendere, omni ævo licuit. Rex Hungariæ post occupatam Ratisponam cum Ferdinando Cardinale qui in Belgium properabat, in finibus Bavarix castra conjunxit, [a] & mox circumfessa Nordlinga memorabili prælio Suecos profligat, Bernardus Dux Viniariensis qui author pugnae fuerat, cum parte equitatus faucibus evasit. Gustavus Hornius, & Cratzius cum quatuordecim Legionum tribunis capti sunt. Impedimentorum magnus numerus, & bellicum omne instrumentum in quo octoginta majora tormenta fuere, in potestatem victorū pervenere. Nordlinga victoriæ præmiū accessit, & mox quicquid ad Lycum, & lacum Acronium atq; in Ducatu Wittēbergico fuit dat manus. [b] Ferdinandus Cardinalis re apud Nordlingam bene gesta, cum iis copiis quas adduxerat, in Belgiū cōtendit, ejus præsentia res ibid. Hispanicas morte Isabellæ, & perfidia Henrici Comiti Bergensis non parum turbatas erexit. Populationes hostium opposito equitatu quo Cardinalis valebat, statim prohibita, Porro Hollandos repentina Schenckiani propugnaculi amissio acrius perculit. Id Geldrienses præfidiarii intempesta nocte superato scaphis Rheno interceperant, præcluserantq; hoc velut divortio Vefaliam & alia Clivix oppida, à Neomago & reliqua Hollandia. Quæ res Hollādos adegit, ut omissis aliis rei bene gerendæ occasionibus, totum prope biennium recuperando huic loco impendere debuerint.

(1635.) Subinde [c] Augusta Vindelicorū ad extremam cibariorum inopiam redacta in Cæsarianorum potestatem pervenit, mille & ducentis qui ex Suedico præsidio

c 6

resta-

[a] Clades Suecorum apud Nordlingam. [b] Ferdinandus Cardinalis it in Belgium. [c] Augusta capitur.



restabant; abeundi Norimbergam facultas facta, fama est adeo in obsidione hac famem invaluisse, ut ab humana carne pauperiores quidam non abstinerint. Sed Philippiburgum quod à Suecis Galli auro coemerant, Gaspar Bambergius Cæsareus Chiliarcha feliciter recepit, per aditum occultum sibi que soli cognitum immisissis noctu militibus. Ingens ibi præda capta est, quippe hanc belli sedem Galli destinaverant. [a] Per idem tempus Treveris ab Hispanico Luxemburgi præsidio nocturno astu intercepta est. Cæsi Galli, quos ad defensionem urbis Princeps Elector induxerat, Ipse, quod in partes Regis Galliarum transferat, captus, & Bruxellas primum dein Viennam ad Imperatorem missus est.

Eodem anno trigesima Maii [b] Pax inter Imperatorem & Electorem Saxonie Pragæ conclusa est, cum diu ante Lutomerici, dein Pirnæ per legatos utriusque de conditionibus actum fuisset. Restitutio bonorum Ecclesiasticorum per annos quadraginta suspensa. Archiepiscopatus Magdeburgensis Augusto Saxonis filio, & Halberstadiensis Leopoldo Cæsaris filio attributus. Electoratus Palatini, Bavaro & ejus hæredibus relictus, qui Donaverdam tamen imperio restituet cum sumptus in bellum expositos receperit. Elector Brandenburgicus Pomeraniam, Duces Meckelenburgici suas provincias, recipient, omnes denique qui intra decem à publicatione dies hanc pacem ratam habebunt, veniam à Cæsare præteritorum merebuntur: cui mox conjunctis exercitibus ad Suecos Gallosque Imperio ejicendos reliqui Principes aderunt. Cæterum Pragensis Pax quanquam non ab omnibus æquè probaretur multas mox Imperiales urbes ad obsequium Cæsaris reduxit, Norimberga, Ulma, Wormatia, Francofurtum ejectis Suedicis præfidiis sponte rediere. Tabernæ Alsaticæ, Franckenthalium, Moguntia & alia nonnulla oppida quæ validioribus copiis Sueci communi verant, vi
ad de-

[a] Treveris cum Electores.

[b] Pax Pragensis.

ad deditiōem compulsa sunt. [a] Per idem tempus Maximilianus Bavariæ Dux & Elector, ductâ in matrimonium Mariâ natu majore Cæsaris filiâ strepentibus per Germaniam armis nuptialem lætitiā interposuit.

Interea re Suedicâ apud Nordlingam afflictâ, & pene universâ Germaniâ ad obsequium Cæsaris redeunte [b] Bellum Gallicum invaluit. Etenim Galliæ Rex Lotharingo tota provincia exuto, tum cæsis apud Namurcum Hispanicis copiis quas Thomas Sabaudia ducis frater ducebat; atque exinde Brabantia crudeliter vexatâ jam diu Germaniæ imminebat. Irritaverat regem haud dubie capta Treveris, & abductus inde in custodiam Elector Philippus Christophorus quem ipse in defensionem acceperat. (1636.) Igitur ut à tergo omnia firmaret Burgundiam, obsessa per Condæum Dola invadit, id præcipuum Burgundiæ munimentum est. Condæo Carolus Dux Lotharingiæ, & Mathias Gallassius cum Cæsareo exercitu opponitur. Ita Dola discrimini exempta est. Interim Piccolomineo & Verdano cum Cæsarianis copiis confirmati in Belgio Hispani, Ciapellam, Corbejam, Castelletum, aliaque Piccardiæ oppida, nullo fere negotio occupant. Jamque Verdanus cum expedita manu ad ipsa prope Parisiorum mænia terrorem pertulerat. Sed Gallassius ingruente hyeme Lugdunensem Galliam perpopulatus exercitum trans Rhenum in hiberna reduxit. [c] At Joannes Panierius Suecicarum copiarum ductor in extremum Germaniæ angulum Pragensi pace rejectus, repente collectis quas poterat copiis Saxones Domitium obsidentes aggreditur, rejectosque cum clade in Saxoniam infecurus sævis populationibus provinciales exhaustit. Saxoni Melchior Hartzfeldius subsidio missus Panierium apud Servestam magna parte equitatus multatum, fundit. Urbs Magdeburgum, seu ruinæ verius, à Saxone obsessa, cæso iterum ad Tangermundam Panneriano præsidio, deditur.

[a] *Matrimonium Bavariæ ducis.* [b] *Bellum Gallicum.*

[c] *Panierius Gen. Sued. axoniam invadit.*

deditur, eundem casum secuta est Werbena, munita ad Albim Havelamq; confluentes arx, & major agri Brandenburgici pars. Utramq; hanc cladem Pannierius haud multo post egregie ultus est caso [a] ad Wittstochium Hatzfeldio, & Saxonis copiis, inter quas multos fuisse fama est, qui armis Saxonis sed animis Suedicis pugnarent. Ea victoria Saxoniam rursus Pannierio aperuit, ex qua, recuperatis omnibus quæ amiserat præter Magdeburgum, in Thuringiam & Misniam movens, Erphordiam primo dein Torgam ad Albim expugnat, reliquum hyemis reficiendis per hiberna copiis, & exprimendis ubique pecuniis quibus exercitum aleret producens.

[b] Cæterum Imperator modicum ocium ab hostibus nactus creando Romanorum Regi Ratisbonæ comitia electoralia celebravit, convenere Electores Catholici omnes præter Trevirenses, qui Viennæ captivus attinebatur, Saxo & Brandenburgicus legatos miserant, Ibi diu disputatâ Trevirensi causâ, & ad extremum dilatâ, à reliquis Electoribus Legatisque [c] Ferdinandus III. Rex Ungariæ Bohemiæq; atque Imperatoris filius, jam diu spei huic destinatus in Regem Romanorum eligitur. Inauguratio paucos post dies consuetis solennibus per Archiepiscopum Moguntinum peracta est. [d] Cæsar Ferdinandus II. Viennam reversus initio anni insequentis (1637. 15 Febr.) longo stomachi vitio confectus rebus humanis excessit. Imperavit annos XVII. menses V. dies XVIII. Princeps modestia, clementiaque & insigni erga Deum Religione nulli ante se Imperatorum secundus Imperium bellis continuis turbatum magnâ animi æquitate sustinuit, nihil fractus adversis neq; prosperis elatus. Catholicam Religionem flagrantissime promovit, pro quâ asserendâ se imperiumq; & Augustissimam domum non semel in extremum discrimen visus conjicere, mirâ Dei ope semper ereptus est. Virtutes ipsius

singulari

[a] Hatzfeldius ceditur. [b] Comititia electoralia. [c] Ferdinandus III. Rex Rom. eligitur. [d] 1637. Ferdinandus II. Cæsar moritur.

ſingulari libello complexus eſt Guilielmus Germæus Lamormanius è Societate Jeſu, & Confeſſarius Cæſaris, quem nemo facile ſine admiratione legerit. Sub idem tempus Boguslaus ultimus Pomeraniæ Dux ſine liberis fato conceſſit.

F E R D I N A N D U S I I I.

NOVUS Cæſar initia imperii læta habuit, Suecis ex omni prope Germania in extremum maris Baltici angulum rejectis, nam Pannierius extrema hyeme Lipſiam fruſtra oppugnans, adventu Cæſareanorum Torgam recedere compellitur. Eam urbem egregie muniverat. Ibi impetum Melchioris Hartzfeldii aliquamdiu ſuſtentans, demùm novo Cæſareorum ſubſidio quod Galaffius & Maſſinius adducebant in Pomeraniam rejicitur, magna peditatus parte in fugâ amiſſâ, Galaffius fugientem in Pomeraniam ſecutus, Tripſciam, Wolgaſtum Daminum armis expugnat, Stetinum, Stralfunda, Andanium vim illatam ſuſtinuere, libero adhuc mari, quod in Suecorum poteſtate erat, ex quo recentibus ſuppætiis confirmabantur. Interea Saxoni & Brandeburgico ſpacium datum recuperandi ſua quæ adhuc Suedicis præſidiis tenebantur. Landgravius Hæſſiæ Guilielmus qui adhuc ex principibus imperii hoſtis Cæſari ſupererat relicta Caſſella ex Hæſſia in Phriſiam fugit, paulo poſt fato functus, cum liberorum ditionumque ſuarum tutelam Regi Galliarum commendaviſſet. Haſſum Dux Sabaudia morte, & pari ante mortem voluntate ſecutus eſt, duos impubes filios conjugis ſuæ curæ, [b] quæ Regis Galliarum foror erat, committens, prætermiſſis fratribus Principe Thoma, & Mauritio Cardinali. Quæ res gravium dein bellorum cauſa extitit. Dux quoque Mantuæ Carolus diem extremum obiit, relicto, unico, ex filio, nepote octenni.

Sub

[a] *Sueci ex Saxonâ ejiciuntur.* [b] *Piaſec p. 594.*



Sub idem tempus Hollandi, recuperato propugnaculo [a] Schenckiano, Bredam, quam ante annos duodecim Spinola ceperat, Hispani Venlonam ac Ruremundam expugnant. Breda majori sanguine & impensis Hollandis constitit, neque tamen permutationis paritatebat. [b] Eadem fortunâ in Africâ usi celeberrimum Guineæ propugnaculum Hispanis eripuerunt. Mina nomen est munimento, adjacetque mari Æthiopico, Ibi Hollandi commissa cū Æthiopibus felici pugna, postquam toto triduo Minam oppugnassent, loco per ditionem potiti sunt, Ducenti inerant præfidiarii Hispani. li omnes ex pacto in proximam insulam S. Thomæ quæ Æquatori subjacet, transportati. Ita Æthiopici litoris negociatio Hispanis turbata, & Orientalis navigatio longe infestissima reddita.

[c] Gallia Rex tres eo anno exercitus instruxit. Unus Bernardo Vinariensi Duce (qui à Suecis ad Gallos transfierat) trajecto supra Argentoratum Rheno magno terrore Germaniam implevit. Sed mox à Joanne Verdano, qui Erenbreitsteinium longa obsidione ad ditionem tandem coegerat, trans Rhenum rejectus, ignominiam repulsæ, bonitate hibernorum compensavit, quæ illi in opulentissima Delspergenfi valle, faucibus per incuriam incolarum incustoditis, liberalia obtigere. In Belgio Marefcallus Castilionius In Burgundia Dux Longevillanus, In Hannoniâ Artesiâque Cardinalis Valetanus varia Hispanis oppida extorquebant. Sed & ex altera Gallia parte dum Hispani Pyrenæos montes transgressi repente Aquitaniam invadunt, non sine clade rejecti sunt.

Eodem tempore [d] Uladislaus quartus Poloniae Rex cum diu de Matrimonio cum Regni Ordinibus consultasset, (nam ex arbitrio Regii Senatus, [e] non propria cupidine Rex Uxorem ducere legibus Polonicis

[a] Breda, Venlona, Ruremunda capta. [b] præsec. pag. 595. [c] Exercitus Gallici. [d] Res Polonia. [e] præsec. pag. 574.

cis tenetur) atque aliqui filiam Friderici Electoris Palatini, alii Ludovicam Mariam Nivernensis ducatus in Gallia hæredem tantæ spei offerrent, Rex tandem prætulit Cæciliam Renatam Ferdinandi II. Cæsaris filiam. [a] Quæ mense septembri à Principe Casimiro Vienna Varsaviam deducta, ibi ab Archiepiscopo Gnesnense, Poloniæ primate solenni ritu coronata, & Regi desponsata est. Modicum subinde bellum Regi cum Cosaccis fuit, ad quos comprimendos Stanislaus Coniecpolius Castellanus Cracoviensis munimentum extruxerat, ad Samaræ & Boristhenis confluentes, loco opportuno. Ex hoc Nicolaus Potoccius Palatinus Braclaviensis præmissus cum copiis, secundo prælio Cosaccos profligat, Cumque à pugna Boroviciam recessissent, magna celeritate fugientes insecutus, commeatum & annonæ inopia coegit ad deditioem, Dux eorum Paulucius cum quatuor primariis Potoccio traditus!

[b] Inter hæc Cantimirius Tartarorum Tauricanorum præfectus cum magna procerum & clientum manu, bonitate soli illectus in campos Moldaviæ vicinos, relictis Patriæ angustiis secesserat, atque inde in Moldaviam colonias transferebat, connivente Amurathe Turcarum Imperatore, quod Tauricanos gentem acerbam & bellicosam in subitos belli impetus vicinam utilemque haberet. Sed magnus Tartarorum Princeps injuriam non tulit, itaque collectis copiis Cantimirium cæsis septem millibus profligat. Jamque prosequeretur fugientes, atque Turcarum aut Poloniæ finibus, ne illum eo victoriæ cursus inferret, timebatur, cum Amurates vocatum ad se Cantimirium strangulari iussit, permisitque principi Tartarorum, ut Tauricanos suos in Chersonesum ad veteres sedes compelleret, Ex quibus dein proceres aliquod, & capita seditionum iussu Amurathis una nocte necati sunt, pari Turcarum levitate & in recipiendis, & in puniendis transfugis. [c] Cæterum

inse-

[a] Regis poloniae Matrimonium. [b] Res Tartaricæ.

[c] piasec pag. 605.

sequens annus (1638.) [a] Turcarum vires alio dittraxis, capto à Persis [b] Babylone, quã Amurathes Imperator quadringentorum millium exercitu ea æstate obsedit, dimissa parte copiarũ ad tentandum Oromusium, quod est in sinu Persico celebre Emporium, ut eo vires Persicas averteret. Sed adversus Oromusium conatus frustra fuere. Babylon vi capta, & incolæ omnes à furentibus Turcis ferro trucidati. Triginta millia Persarũ inerant, veterani omnes. Neque inulti periere, cum prope centum millia ex Turcico exercitu occidisse scribantur, præter eos quos pestis aut alia vis extinxit.

[c] Interim Veneti Turcas irritavere. Marinus Capello ad custodiam maris Adriatici, classi præfectus celeres aliquot piraticas in portum usque Apolloniæ circa litora Macedoniæ, insecutus, naves ipsas cum aliis multis quæ in ea statione erant incenderat, occupato ad extremum portu, & direpta urbe, mox ex toto mari Jonio Turcarum navigia ejecit, præcipitatis in aquam vectoribus. Quæ res Amurathem Babyloni insidiantem adeo perculit, ut dato in custodiam Aloysio Contareno tunc apud Constantinopolim Venetorum Legato, ingentem mox classem per omnes portus apparari atque instrui in reditum suum jussit. Veneti intellecto fine Persici belli, & reditu Amurathis, cum à Christianis Principibus bello civili implicitis parum subsidii sperarent, pacem auro redemere, restitutis pecunia damnis quæ intulisse ferebantur.

[d] At in Pomerania Pannierius acceptis è Suecia auxiliis confirmatus Wolgastum ac Garsiam recuperat. Tum ejecto inde Gallasio ac Cæsarianis ducibus quorum exercitum annonæ com meatuumq; penuria plurimum imminuerat, in Saxoniam Misniamq; populabundus irrumpit, nullo jam hoste cum Gallasius reficiendis viribus in Bohemiam concessisset, Porro in Westphalia Melchior Hatzfeldius rem Cæsaris egregie gessit.

Caro-

[a] *Piasec. pag. 605.* [b] *Babylon capitur à Turcis.* [c] *Veneti piratas Turcicos insequuntur.* [d] *Res Germanica.*

Carolus Ludovicus, Electoris Palatini filius cum fratre Ruperto, non spernendas copias ope Hollandorum, Galliarum; & Angliarum regum in Westphaliam adduxerat, empta à Suecis Meppena ut ibi horreum sedemque belli constitueret, jamque magnum eo apparatus comportaverat. Cum urbs repentina Cæsarianorum vi in potestatem redigitur, tū mense Octobri Palatinus apud Lemgoviam justo prelio funditur, amissis omnibus impedimentis. & maxima peditatus parte, frater ejus Rupertus captus, atque ad Bavariarum ducem ablegatus est, hæc vergente jam anno gesta, ejus initio magnam prope Rhenum cladē Cæsariani acceperunt. [b] Dux Vinariensis Bernardus Rheinfeldiam obsederat haud procul Basilea, missi protinus subsidio Verdanus, Sabellius, Enckfordius, Sperreutterus, & Furstenbergius commisso non uno prelio tandem fugiente equitatu toto campo profligantur, capti duces omnes præter Furstēbergium qui naviculam ad Rhenum nactus aufugiendi facultatē habuit. Captivi duces Parisios velut ad triumphum in custodiam abducti, ex quibus non multo post Sabellius elusis custodibus evasit ad suos. Cæterum Vinariensis Rheinfeldia, dein Friburgo potius ad circumsidendum [c] Brisacum animum adjecit. Id hodie caput est Brisgoviarum. & Alsatiarum totius munimentum fortissimum. Basileæ & Argentorato medium interjacet, æquali fere spacio, loco alto, atque ideo perdifficili accessu, nō tamen animū despondit Vinariensis quin concepta obtinendi spe circumvallare urbē aggeribus, vallisque, & aditus omnes, ne quid importaretur, custodiis cingere inciperet. Nihil omifere Cæsar & Bavarus ut urbē inter arces Germanicas primariam fervarent, Missi igitur cum valida manu Sabellius & Getzius rursū à Vinariensi funduntur amissis omnibus tormentis, & curruum magno numero. Porro neque adhuc de liberatione desperatum, Sabellio Lambojus & Goltzius suffecti, sed Getzio subesse

[a] Clades Palatinorum. [b] Clades Cæsarianorum ad Rheinfeldiam. [c] Brisacum obsidetur & capitur. jussi

jussi sunt, conventumque cum Lotharingo & Mercio ut altera Rheni parte hostis invaderetur. Satis virium aderat, sed multitudo ducum aut fortuna Germaniæ rem turbavit, Cæsi denuo Lotharingus Gœtziusque. Ita tandem exeunte anno Brisacum hosti deditur, ad extremam famem, & humanæ carnis esum penuriâ commeatum redactum. Per idem tempus, ut Regi Galliæ nihil ad regni stabilimentum, quod jam magnis in Germania accessibus firmabat, deesset, longo vlginti trium annorum matrimonio quæsitum filium, [a] ex Annâ Mariâ Hispanicâ ultra mortale gaudium accepit, nomen Delphino (ita Regium Primogenitum Galli vocant) Ludovicus Pacificus inditum, atque is est Ludovicus IV. qui hodie sub tutela Reginae Marris regno Galliæ præsidet. Natales Regii infantis Rex Hispaniæ etsi hostis, liberalibus donis puerperæ sorori missis, & festo ignium apparatu Madriti excoluit. Neque interea arma omittebat, Depulsus ab obsidione Fonterabiæ, qui celebris ad mare Cantabricum portus est, Princeps Condaus, Cæsi ex Gallis bis mille, capti quadringenti, cum impedimentis atque omni apparatu castrensi. In Artesia Dux Castilionius ab obsidione Audomarenfi pariter rejectus Crevecoriam tamen non multo post vi expugnat. Hollandi quoque insignem eo anno apud Calloum cladem accipere, cæsis in acie mille quingentis, ac toridem fere captis, Paulo post ab obsidione Geldriæ pari ignominia rejecti.

[b] Porro in Polonia celebratis Regni comitiis, Gedanensibus novum portorium impositum, & Paulucius Cofaccorum dux nuper à Nicolao Potoccio bello captus capite plectitur, quod supplicium nequaquam veteres Cofaccorum turbas pacavit, eo acrius expertam semel licentiam expertentium, quo severius verabantur, Eodem tempore Casimirus Poloniæ Princeps dum animi causa in Hispaniam navigaturus, Marsiliæ exscendit, ut debilitas ex jactatione marina vires reficeret, at-

tinetur.

[a] s. Sept. 1638. [b] Res Polonica.

tenetur à Gallis atque in custodiam datus, nulla neque Pontificis neque Uladislai Regis, & fratris intercessione toto biennio inde eripi potuit, causa custodiæ fuit, quod Imperatori in Germania adversus Gallos militavisset, tandem misso Christophoro Gassio Palatino Smolenscensi exemptus est, data sponse non se eam injuriam vindicaturum. [a] In Italiâ mors Victorii Sabaudia ducis novû bellum accendit. Hispani Vercellas, Thomas, & Mauritius Cardinalis Principes Sabaudia quos à tutela liberorum Victorius moriens excluderat, tutelam Nepotum, simul Taurinum aliaque Sabaudia loca invadunt, non omittentibus Gallis tutelam matris quæ Gallia Regis soror erat, ferro & vi asserere.

[b] Vinariensis interea (1639.) occupato Brisaco in Burgundiam movit, eaque omni cladium genere evastatâ dum in Alsatiam regreditur Neoburgi repentina contagione extinguitur, nō sine fama procuratæ mortis. Imperium militare quatuor Præfectis Erlachio, Oehmio, Nassavio, & Rosæ reliquit, addito singulis aliquot millium Imperialium legato. Brisacum dein, & quicquid in Alsatia Burgundiaque Gallicis subsidiis Vinariensis occupaverat, ac demum exercitus ipse delinitis auro Præfectis, in Regis Gallia verba juravit. At Carolum Ludovicum, Palatini filium qui ad orbi exercitus regimen ex Anglia per Galliam advenire credebatur, Rex Gallia attineri jussit, non sine offensione Caroli Regis Britanniarum, quem interim novæ in Anglia turbæ distinebant.

[c] Etenim per idem tempus in Anglia Religio turbavit. Carolus Rex Magnæ Britannia, & primus ejus nominis, ut Scotia & Anglia regna firmiter consociaret, ritus Ecclesie Anglicanae reformatos in Scotia quoque observari volebat. Id quod pater ipsius Jacobus VI.

ante

[a] Bellum Sabaudicum. [b] Mors Vinariensis. [c] Anglicanarum Turbarum initium.

ante aliquot annos etiam statuerat. [a] Quinque erant præcipui articuli, 1. de Genuflexione in Cæna. 2. de Celebratione Fæstorū præter dies Dominicos. 3. de Baptismo privato. 4. De usu privato Cœnæ, 5. de confirmatione Anglica. Ad hæc restitui Episcopos, eorumq; arbitrio & potestate Ecclesias & Synodos moderari volebat. His Regiis decretis Puritani in Scotia (ii Calviniani sunt) Religioni Catholicæ, & reformatis Augustanis juxta infensi, obstinate aduersabatur. Dum igitur à novo Magistratu, qui Romanæ Inquisitionis instar erat, compelli incipiunt, authore Alexandro Leslæo conspiratione facta, cõtra Regium decretum, & Reformationem Augustanam fœdus percutiunt, occupatoq; Edemburgo quæ sedes est Regum, & arx regni primaria, aliisq; locis munitioribus bellum haud obscure moliuntur, quod dein non nisi sanguine & supplicio regis sedatum infra memorabimus.

[b] Galli interea Theonis villã in ducatu Luxemburgensi munitissimum oppidum, & Hesdinum in Artesia obsident. Hesdinum Rex ipse in castra perveniens honestis conditionibus in potestatem accepit. Theonis villam Piccolomineus cum Becquio obsidione liberavit, depulsis inde Gallis magna clade. [c] Vinariensi dein exercitui Dux Longevillanus præpositus, non sane consentientibus Germanis, ut Gallo duci parerent: sed aurum quo tunc omnia administrabatur hanc quoque patientiam extorsit. Itaque in Palatinatum primo, dein Rheingaviam ducti Crucenaco, Bingio, Oppenheimio, Alcæa aliisque locis nemine resistente facile potiuntur, dein in agrum Moguntinensem & Trevirenses mox transmissio iterū Rheno in Veteraviam infesti irrumpunt.

[d] Eodem tempore Pannierius fuso in Misnia Salisio Cæsariano duce, mox & Marasino Suickavia potitur, inde fugientium vestigia legens in mediam usque Bohemiam illatus Leitmaritzium, Brandisium & circum-

[a] *Piassec. pag. 623.* [b] *Res Gallica.* [c] *Florus correctus. pag. 437. edi post.* [d] *Res Suedica.*

jecta oppida invadit. Cæsar revocatis ex Westphalia Hatzfeldio, ex Belgio Piccolomineo, collectisque ex Austria Moravia, Bohemiaque, quæ superant copiis Leopoldum Archiducem fratrem suum imponit. Is anni insequentis (1640.) initio necdum finita hyeme lustratas propere, legiones in hostem educens, Reginogradicum, quod paulo ante captum summa ope Pannierius muniebat, primo impetu recipit, eadem celeritate Leimaritzio, Brandisioque & aliis oppidis recuperatis tota Bohemia hostem exigit. Pannierius in Misniam dein Thuringiam fugam delatus, quicquid hostilium Cæsari copiarum erat, Vinarienses, Hassios, Luneburgicosque ad se recipit, & ita confirmato exercitu jam ultro in Cæsareanos vertit. Illi capto apud Salam fluvium opportuno loco castra communiunt. Dein com meatuum & pabuli inopia compulsi recedere, cum Bavaricis copiis quas Mercius in Franconia habebat, castra conjungunt. Nihil ea æstate aliud peractum, refugiente Pannierio, unam prælii aleam suam sociorumque rem, in extremum discrimen projicere.

Initio anni, [a] mense aprili ingens terræ motus universam Germaniam concussit duabus ante lucem horis, quod eo pronius diri ominis loco acceptum, quia gliscentibus ubique bellis, spes etiam pacis auferebatur, discedente dein Colonia Romam Martio Ginetti Cardinale, quem ad promovendam pacem dudum in Germaniam miserat, Pontifex Urbanus octavus. Galli interea Atrebatum munitissimam Artesiæ urbem duce Castilionio summa vi intercipiunt, nequicquam Ferdinando Belgii principe cum valida Hispanorum manu, hostilia gallorum castra oppugnante. In Italiâ Galli pari felicitate magnam Pedemontii partem, ac Taurino ipso, per Comitem Arcourtium recuperato, Casalium quoque obsidione liberant, magna clade multatis Hispanis, captoque omni castrensi & impedimentorum apparatu.

Cæte-

[a] Terra motus.

[a] Ceterum Hispaniam per idem tempus civiles motus gravius turbavere. Duo celeberrima Regna Catalonia & Lusitania, à Rege & reliquo corpore deficiunt, Catalonia hibernantium militum injuriæ, tum continua tributa, & propinquum è Gallia auxilium ad spes novas impulerant. Continuo igitur milites ejecti, Prorex & Magistratus Regius Barcellonæ & primores quique regiarum partium, aut interfecti, aut exuri bonis atque in exilium pulsi. Barcellona ac reliquæ urbes Gallicum præsidium ac Proregem recipiunt. [b] Lusitani iisdem fere ex causis naturatam jam diu defectio- nem Olissipone ordiuntur. Dux Braganciæ Joannes, ex veteri Regum Lusitaniæ sanguine, Rex constitutus. Aduere mox Galliæ, & Angliæ Reges, Hollandique & alii Austriacorum hostes, quorum intererat rem Hispanicam turbari. Ita intra ipsa. Hispaniæ viscera bellum difficillimum enatum, plane quasi gens utriusque orbis Domina, & Regum omnium principumque potentiam magnitudine terrarum, quibus sol nūquam occidit supergressa, atque adeo ab externis hostibus tuta non nisi suismet viribus posset concidere.

[c] Cæsar interim indictis Ratisponam comitiis res imperii tractabat, actum de reducenda pace, utque Monasterii & Osnabrugæ tractaretur. Publicata actuum venia, paucis exceptis, sed neque omissa belli cura, descriptus hibernorum stipendiorumque modus, definita tributa, correctæ disciplina militaris, aliæque ordinata quæ rei publicæ necessitas exigere videbatur. Cæterum Pannierius relictis in agro Brunsvicensi militibus per Misniam in [d] Palatinatum superiorem erumpens Chambium occupat, (1641.) inde ad ipsa Ratisponæ mœnia minitabundus ducit. Sed jam urbem Imperator idoneo præsidio instruxerat, suæque præsentia proceres imperii continuit, ne flagitiosa inde fuga
turba-

[a] *Motus Hispanici Catalonia deficit à Rege.* [b] *Et Lusitania.* [c] *Comitia Ratisponensis anni 1641.* [d] *Gesta Suecorum.*

Elisabetha Regina contra Sacerdotes Catholicos sanxerat. Thomas Staffordius Prorex Hiberniæ quod Catholicis æquior, & Regem ad arma in Scotiam movenda impulisset capitis supplicio damnatur, coacto Rege, ut lata in proregem sententiæ subscriberet. Interfecto Staffordio, Wilhelmus Landius Archiepiscopus Cantuariensis in eundem carcerem detruditur. Accusata & ipsa Regina quod à Catholicis regni inquilinis pecuniam in belli usus postulasset, Ita ad arma perventum, quæ senatui Regio occupatis omnibus portoriis vectigalibusque expeditu facilia fuere. Regina ut se ab imminente tempestate subtraheret, cum Maria filia, quæ Wilhelmo Orangii principi desponsata erat, in Hollandiam proficiscitur. Rex propria pecunia, & aliquorum procerum qui ex senatu Regio ad eum defecerant exercitum conscribit. In Hibernia quoque qui Regiarum partium erant, & Catholici magno numero ad arma provolant, Illi quidem pro Rege, hi etiam pro Religione, cui inter hos tumultus ereptam dudum libertatem reddi posse arbitrabantur.

Gallia interim civili etiam bello tentata, & mox cæso duce absoluta est, Ludovicus Borbonius, Regii sanguinis Princeps manifestis, in Joannem Armandum Cardinalem Ricolocium, qui omnia in aula administrabat, odiis discesserat. Secuti illum exprimaria nobilitate, Guisus, & Bullionius Duces, aliique. Jamque non spernendas copias contraxerat. Quibus Lambojus Hispanicarum partium dux cum firma manu adjungitur. Galli Castilionium novo hosti objiciunt. Commissâ apud Sedanum pugnâ Castilionius funditur, amissis tribus fere millibus. Gravem haud dubie cladem Gallia acceperat, si victoriæ suæ Borbonius superfuisset. Cæso duce reliqui dein Regi reconciliati sunt, & Lambojus in belgium revocatus est; ubi Gall. Ariam validam Arresiæ urbem Hollandi Gennepam ad Narsiæ & Mosæ confluentes sitam obsidebant. Utraq; capta. Sed Ariam, priusquam

[a] *Res Gallica & Belgica.*

quam necessario comineatu muniretur, Franciscus de Melo Hispanicæ in belgio militiæ præfectus recepit, Una urbs eodem anno bis obfessa, bis capta. Porro Galli Bapalmam, oppidum retinendo Atretrato oportunitate expugnant. Sub idem tempus Ferdinandus Cardinalis, Princeps Hispaniæ, & Belgii gubernator moritur, Vicaria interim provinciarum procuratio Francisco Melonio permiffa.

Cæterum in Imperio re Suedica per mortem Pannierii turbata, varia Saxonici & Silesiæ loca Cæsareani recuperant. Dorstenam in Westphalia Hartzfeldius singulari exercitu ad deditorem compellit. Wolfenbutelium, Dux Luneburgicus ope Coningsmarckii & Suecorum diu obfessum, sed virtute & constantiâ Baronis Reuschenbergii, (etsi cæsis qui auxilio venerant, tum obstructo fluminis alveo pene submergeretur) egregie defensum, inita cum Cæsare pace deserit. Gottinga interim, & Hohentvveila à Cæsareanis magno sumptu nequicquam tentantur. Utrumque validum præsidium, & circumposita munimenta, hanc quoque prærupta & accessu invia rupes ab oppugnantium vi tuebatur.

[4] Insequens annus Cæsari & Catholicis partibus ubique prope infaustus extitit, initio ejus Vinarienses & Hassi Gebriano & Ebersteinio ducibus, Rheno apud Vefaliam transmissio, in Coloniensem diocesium infesti irrumpunt, Linnâ & Urdingâ primo impetu captis, mox Lambojum in Campo Anthoniano non procul Kempna aggressi, perruptis aggeribus priusquam aciem explicare posset, memorabili clade profligant. Ipse cum præcipuis ducibus in potestatem hostium pervenit, capta signa & impedimenta omnisque apparatus militaris. Pauci se Juliacum ex fuga receperant, quos Vinariensium copiarum præfectus, Rosa, assecutus nova clade prostravit. Ea victoria, longa pace divitem patriam, & adhuc intactam hosti aperuit. Novesium, repudiato Electoris Coloniensis

d 2

præ-

[a] 1642. Cedes Lamboii & vastatio agri Coloniensis.

præsidio, quòd ille in tempore obtulerat, ne tridui quidem obsidionem tulit, dum libertati & securitati suæ nimium consulit, utramque amittens. Secuta est Kempena, non opibus neque munitionibus Novesio par. Hulcradium dein & Marcodurum eundem casum subiere. Lechenium ignobile apud Erftam oppidum sed fortibus viris munitum vim hostium egregie sustinuit. Oppido continuis jaculationibus exusto deformatoque refugientes in arcem præsidarii conatus oppugnantium eludere. Adeo sibi quisque dummodo extrema experiri audeat, arx est & propugnaculum; Ignavos fortissima etiam munimenta non protegent.

[a] In Saxonia per idem tempus Coningsmarckius Halberstadium, & Ascherslebiam inter, quatuor Cæsarianis Legionibus obritis rem Suedicam stabilivit, mox depulsos ab arce Mansfeldia Cæsareanos tota pæne Saxonia exegit. Quem insecutus haud multo post Suedicæ militiæ novus Dux Leonardus Dorstenhnius, postquam recenti ex Suecia supplemento exercitum auxisset, in Silesiam movit. Capta uno die totius exercitus viribus Glogovia major, in quam urbem magnam frumenti vim, cæteri que bellici apparatus Cæsariani deposuerant. [b] Inde ad subigendam Sueiniciam movit, cæsis insigni clade Cæsareanis, quos Franciscus Albertus Dux Lavenburgicus hosti in occursum eduxerat. Qui captus, paulo post ex vulneribus obiit. Ita Opolio, Ratiboria, Nissâ, ac tota prope Silesiâ potitus, ad ipsa Uratislaviæ mænia terrorem pertulit, flexo inde in Moraviam cursu Troppaviam & Olomucium quæ metropolis Moraviæ est, expugnat. Porro Silesiâ, Lusatiâque hostilem in modum direptis in Saxoniam regreditur, ac Lipsiam obsidere instituit, quam Saxonix elector firmo præsidio obtinebat. [c] Secutos à tergo Archiducem Leopoldum, & Piccolomineum omisâ obsidione, gravi clade profligat, eodem prope loco ubi

ante

[a] *Res Suedica sub novo Generali Dorstenonio.*

[b] *Cæsariani caduntur.* [c] *Itærum caduntur.*

ante annos undecim Rex Sueciæ Gustavus Tillium ingenti prælio fuderat, Tormentorum, omnisque bellici apparatus magnus numerus Suecorum potestati cessit, ea Victoria Lipsiæ & hibernorum suo arbitrio metandorum copiam Dorstensohno fecit. Interim in agro Coloniensi Melchior Hartzfeldius cum Cæsarianis & Joachimus Christianus Comes Wahliæ Bavaricarum copiarum Dux transmissis Colonia Rheno haud procul Sonfa castra fixere, in quæ haud multo post pervenit Joannes Verdanus ex Gallica captivitate, cum Gustavo Hornio permutatus. Hassi & Vinarienses omnia Lechenii obsidione suas quoque copias in castra contraxerant, Ita æstatis magna pars dum populandi pabulandique copia alteri alteros prohibent, extracta. Mense octobri Vinarienses cum firmis operibus Novesium imprimis & alia quæ interceperant loca valido Hassorum præsidio præmuniissent, transito apud Vesaliam Rheno in Westphaliam concessere. Hartzfeldius & Wahlius cæso apud Lipsiam Leopoldo, revocati à Cæsare Marcodurum ex itinere recipiunt.

[a] Eodem anno Galli in Catalaunia cæsis haud procul Barcinone Hispanicis copiis Colibræ vi cæpere. Perpinianum valida ad annum Thetim urbs sex fere mensium obsidionem fortissime sustinuit, ad extremum vi hostium, & magis penuria comineatum ac fame domita. Perpiniani exitum Salsulas, propugnaculum ejus oræ adversus Gallos munitissimum, in eundem casum impulit, ante triennium fere, seditionis Catalaunicæ initio à Gallis interceptum & mox iterum amissum, nunc denuo victoribus cessit. At in belgio longe alia fortuna Gallos excepit. [b] Franciscus Melo simulata Ariensi obsidione repente mutato proposito Bassiam contendit, qua in potestatem redacta in Picardiam porro movens, Ducem Guisium cum duodecim Gallorum millibus prope Castelerum justa acie profligat, capta Gallorum duo millia, totidem fere in

d 3

acie

[a] Rex Gallicæ in Catalonia. [b] in Belgio.

acie cæsis, ea clades Catalaunicæ victoriæ famam multum imminuit, partes Hispanicas haud admodum iu-
vit: dum Melo omisso victoriæ cursu, vires exercitus, ad
observandos Mosæ transitus & Vinariensium in agro
Coloniensi dominantium conatus prohibendos dimit-
tit. Inter hæc Maria Catharina Medicæa Ludovici Re-
gis Galliarum mater Colonia moritur, quo se post diu-
turnum in belgio exilium, [a] dein varias in Britanniam
& Hollandiam profectioes quietis causa paulo ante
contulerat. Francisco Magno Herrerix Duce & Joanna
Austriaca Ferdinandi I. Cæsaris filia, genita est. Anno
sæculari (1600) Henrico IV. Galliarum Regi nupsit,
dimissa Margaretha Valesia, [b] cum qua Henrico ste-
rile, & discors, tum quoque impedimento consanguini-
tatis invalidum matrimonium diu fuerat. Anno dein
hujus sæculi decimo solenni apparatu Regina Gallix
in augurata, postridie Regem maritum à sicario ex in-
fidiis interfectum amisit. Filio ejus novenni Regnum,
ipsi cura Regni filiiq̄ue donec adolesceret permissa. Cæ-
terum in ea administratione, ut fit, multorum odia in-
currit Quæ, interfecto Duce Ancræo cujus consiliis po-
tissimum initebatur, & mox filio Ludovico rerum poti-
to, erupere. Cumq̄ue aliis apud Regem prævalentibus
ipsa jam sperneretur renunciata palam amicitia Car-
dinali Ricolocio, in exilium Bruxellas sponte concessit.
Porro Reginam eodem anno morte secutus est Jo-
annes [c] Armandus Cardinalis Ricolocius, summus re-
rum Gallicarum arbiter. Magna ingenii atque opum
fama, quas intra spacium amicitix Regiæ, (quæ viginti
per annos raro aulæ miraculo, ad mortem usque con-
stantissime floruit) ingentes paraverat. Rex Ludovi-
cus haud multo post, anni sequentis initio (1643.)
& ipse vitæ finem fecit, relicto Ludovico XIV. filio ac
hærede, annorum fere quinque. Qui etiamnum Regno
Galliæ

[a] *Regina Gallia moritur.*

[b] *Piasec. Chronicon. pag. 203.*

[c] *Cardinalis Richelius moritur, mox Rex ipse Gallia*

Galliæ præest sub tutela Reginae matris, Annæ Mariæ Hispanicæ. Mortuus est Ludovicus XIII. anno ætatis tertio & quadragesimo eodem plane die, [a] quo ante annos tres & triginta patrem ejus Henricum IV. sicarius interfecerat. Porro Cardinali Ricolocio in Regionum consiliorum arcana Julius Mazarinus itidem Cardinalis successit. Jam ante Ricolocii intimus, & favore ipsius ad maxima quævis proventus.

[b] Sub idem tempus Stocholmiæ, quæ Sueciæ regia est, Christina Regis Gustavi filia, solenni apparatu Regina Sueciæ coronata est. Henrica Maria Caroli Britanniarum Regis primogenita, Wilhelmo Principis Orangi filio desponsatur, gliscentibus interim in Anglia, Scotiaq; & Hibernia Regem inter & Regni ordines civilibus diffidiis, dum illi repudiatis plane quæ Rex pro reformanda religione edixerat, intimos quosque Regis tanquam belli & turbarum authores ad supplicium deposcunt. Ita ad arma deventū, quæ Regem prævalētibus Puritanis, nec numero nec opibus parem in exitum tra-xere. Porro Varsoviæ in Polonia Philippus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus, Juliæ, Cliviæ, ac Montium Dux, Annam Catharinam Uladislai Regis sororem in Matrimonium accepit. In Italia mense decembri, continuis imbribus aucti omnes & præcipue Padus alueum suum supergressus, Mantuæ, Cremonæ, & vicinis agris ingentia damna intulit.

[c] Cæterum Vinarienses brevibus hibernis refectis apud Rhenum copiis, in Franconiam & Wurtembergiã irrumpunt. Commissisq; subinde cum Joanne Verdano modicis velitationibus novo rursū ex Gallia supplemento, quod Dux Anguienensis adduxerat cōfirmantur. Mense Novembri Comes Gebrianus Vinariensium copiarum Dux Rotvveilã obsidere aggressus, dū dirigendis in urbē tormentis post crates vimineas adfistit, minori machina (quas falconettas vocāt) petitus brachiū amittit, quo ex vulnere, paucos post dies in capto oppido victor vivere

[a] 14. M. iii.

d 4

desijt.

[b] Christina Regina Sueciæ coronatur, nuptia Neoburgici Principis & Orangi. [c] 1643. Gesta Vinariensium.

desiit. Mortem Ducis repentina exercitus clades secuta est. Etenim captâ Rotvveilâ, dum hiberna circumspiciunt, in propinqua circum oppida legiones distribuunt. Dutlingæ juxta Danubium primaria præfectorum statio erat, haud procul inde in colle tormenta & bellum cum omne instrumentum deposuerant, additis qui præsidio essent. Cæsariani, duce Hatzfeldio, Bavaricisque & Lotharingicis copiis contractis, re omni ante explorata, Dutlingam subito invadunt. Pars exercitus Danubium vado transmittit, occurrentemque cum aliquot legionibus Rosam primo impetu absterret. Inde in vicinas hostium stationes, uti inter se composuerant, digressi, divisos, ad deditonem compellunt. Pauci cum Rosa equitum præfecto fuga evasere, Reliqui omnes summi infimique, adhæc pecuniæ & apparatus bellici magna vis, sine ullo Cæsarianorum sanguine capta. Rotvveila appendix victoriæ fuit.

[a] Interea Dorstensohnus ab obsidione Fribergæ pertinacia obsessorum rejectus, in Bohemiam iterum ac Moraviam irrupit. Quæque ibi obtinebat loca, novo præsidio, commeatuque, & omnibus ad vim sustinendam necessariis confirmat, Inde ingenti præda potitus in Silesiam movit, expilatis incensisque Uratislaviæ sub urbiis quoniam cives commeatum & pecuniam pro exercitu postulanti negaverant. Coningsmarkius in Saxoniam à Dorstensohno relictus Halberstadium & alia ibidem loca pulsus Saxonibus in potestatem suam redigit, dein Cracovium vigiliarum præfectum quem Gallassius in Pomeraniam populatum miserat, collatis contra castris ex Pomerania abigit, receptis Camino aliisque locis quæ Cæsariani præsidio vacua primo adventu interceperant.

[b] In Belgio Ludovicus Borbonius Dux Anguensis, Rocroam quam Franciscus Melo obsederat, fuso Hispanorum exercitu liberavit. Multi ex Hispanis præcipui Ordinum Ductores eo prælio perierunt. Dux Albuquerqueus

[a] *Gesta Suecorum.* [b] *Piassecii Chronicon.* pag. 599.

quercius cum magna equitum parte quibus præerat, incolumis euasit, eâ victoriâ potitus Anguiensis Theonis. villam in agro Lucenburgensi munitissimum propugnaculum circumfedit, & secundo postquam obsederat mense magna suorum strage expugnat, sexcenti præsidarii, qui ex mille & quadringentis superfuerant, liberi Lucenburgum dimissi sunt. Ipse quinque Legiones Gallorum, & quatuor centurias, qui omnes Helvetii erant, imposuit.

[a] Subinde Laureti in Italia Joannes Casimirus Princeps Poloniæ qui jam regno potitur, rerum humanarum contemptu, ac vitæ sanctioris desiderio, dimisso à se comitatu, Societati JESU nomen dat, offenso non leviter fratre Uladislao Rege, qui ingravescente indies valetudine, ad altiores spes Casimirum destinaverat. Urbanus exin VIII. [b] pontifex maximus Romæ moritur, anno ætatis septimo & septuagesimo, postquam Ecclesiæ magna prudentiæ & eruditionis laude unum & viginti annos præfuisset; quorum duos supremos, exitiali bello adversus Odoardum Farnesium, Ducem Parmensem inquietos habuit. [c] Ejus belli hoc initium fuit, Jussit Pontifex, ut Parmensis Ducatum Castri (quem Fiduciario jure à sede Apostolica obtinet;) ære alieno, quo illum obligaverat, liberaret. Id Parmensis neglexerat. Igitur Pontifex Castrum occupari, & cæteras Ducis possessiones quæ Romæ in potestate Pontificis erant, æstimari; atque ex iis æs alienum exsolvi jubet, hanc injuriam, uti censebat Parmensis, armis ulcisci statuit. Itaque infesto exercitu ditiones Pontificis ingressus, bellum molitur. Quod multis ultrō citroque cladibus, & magno provinciarum damno gestum tandem paulo ante mortem Pontificis componitur. Parmensi Ducatus Castri quæque alia ablata fuerant, reddita. Urbano dein Joannes Baptista Pamphilius Romanus sublectus Innocentii X. nomen accepit.

d' 5

Is

[a] *Piasecii Chronicon. pag. 599.* [b] *1644. 29. Jul.*[c] *Bellum Pontificis cum Parmense.*

Is summis antea muneribus perfunctus, semel cum Barberino Cardinali in Galliam, bis in Hispaniam, Legatus, Nunciusque Apostolicus, & Patriarcha Antiochenus, etiamnum Catholicæ Ecclesiæ summa cum laude præsidet. Symbolum ipsius (columba scilicet, ramulum olivæ, ore præferens) lætis omnium animis acceptum, sub ejus pontificatu, redituram aliquando pacem haud temere præfagientium.

[a] Enimvero confluerant jam Monasteriū & Osna-brugam Legati magno numero, suspensasque interim & sollicitos omniū animos, ab armorum cogitatione desiderium pacis averterat. Cæterum arma haud quieverunt. Sueci omisso imperio in Daniā infesti irrumpunt. Dorstensohnus Holsatiam & Jutlandiam, Hornius Norvegiam & Scandinaviam insulam invadunt, causam tã repentinæ irruptionis commemorant, quod Rex naves aliquot Suedicas in freto Danico attinisset, quodque misso in Moscoviam filio Notho Voldamaro, qui magni Moscorum ducis Michaëlis Fedorovicii filiam uxorē duceret, Societatem Moscovicam Regno Sueciæ invisam periculosamque attentaret. Cæterum Rex Daniæ tã subito irrumpentibus hostibus impar, revocatis mox Legatis quos Monasteriū promovēdæ paci arbitros miserat, communire se, & scribere milites, atque omni ope ad vim hostium prohibendam parare instituit. Sed jam illi in interiora regni penetraverant. Ibi æstas oppugnandis retinendisque urbibus extracta magno Suedici exercitus incremento, qui se in prædivite patria omnibus ad militiam sustentandam necessariis abunde instruebant. Tandem exacta jam hyeme Electoris Brandenburgici, & Ordinum Hollandicorum cura pax restituta est.

[b] Bavarici interea duce Francisco Barone Mercio Uberlingam ad sinū Acronium, & Friburgum in Brisgovia recuperant, quos Dux Anguiensis apud Friburgū positis castris cum viginti millibus aggressus, iterata sæpius oppugnatione, tandem penuria com-

meatum

[a] *Bellum Danicum* [b] *Bavarorum & Gallorum cōflictus.*

meatum inde rejicit, mox Germersheimium Wormatiã, Spiram, Moguntiam aliãq; ad Rhenum loca uno velut impetu occupat. Maxima omnium jactura Philipopolis fuit, arx apud Rhenum munitissima, sed tũ adversus obsidionem nõ satis proviso apparatu. Pari fortuna, sed majori damno Galli Duce Aurelianensi Gravelingam validam Flandriæ urbem post bimestrem obsidionem capiunt. Id damnum Hispani recuperata, in Catalaunia, Ilerda celebri ad Sicorim fluvium urbe, & cæsis qui subsidio venerant Gallis egregie refarciunt.

[a] In Anglia per idem tempus Rex Carolus cõmissio cum Ordinibus prælio, gravi clade afficitur, amisso fere peditatu omni, & fidissimis quibusque in acie cæsis. Ipse tamen cum ingenti thesauro Oxoniam evasit. Wilhelmus Landius Archiepiscopus Cantuariensis ac primas Angliæ, quod regiis partibus studere, & author præsentis belli crederetur à regio senatu ad mortem damnatus, securi percutitur.

Eodem anno excessit ex hac vita Regina Polonia Cæcilia Renata, & altera item Regina Hispaniæ, Philippi IV. Regis uxor Elisabetha, Ludovici XIII. Regis Galliarum soror.

[b] Cæterum Cæsarem, Suecis in bellum Danicum ex imperio averfis, novus repête hostis ex Transylvania excepit Georgius Ragothius Trãsylvaniæ Princeps qui afferendæ per speciẽ libertatis præcipuos Ungariæ proceres in spes novas pellexerat, Jamque Cassoviam pulso Cæsaris præsidio invaserat. Plus terroris id bellum quam virium habuit. Ragothius pari levitate qua cæperat, arma deposuit. Facili ad omnia Cæsare quem Suecorum iterum in imperium adventus majore cura excitaverat.

[c] Etenim Dorstẽsohnus Suedicæ militiæ supremus, nõdum perfecta Danica pace, valido prius præsidio cõmunitis quæ in Holsatia & Jutlandia occupaverat, adversus Gallassium qui in confinibus Holsatiæ castra fixerat

d 6

impro-

[a] *Res Anglicane.* [b] *Bellum Transylvanicum.*

[c] *Cæsarianorum clades.*

improvisus erumpit, Inde Magdeburgum usque fugientem insequitur obtrito fere omni peditatu, & capta magna parte impedimentorum, quæ Suecis equitatu prævalentibus fugam Gallassii assequi non poterant. Gallassius demum aliquamdiu apud Magdeburgum à Dorstensohno circumsessus relicto illic valido præsidio, depositisque tormentis & reliqua parte impedimentorum, cum eo qui supererat equitatu & paucis peditibus, ægrè in Bohemiam evasit. Ea clade Cæsar excitus, etsi media hyeme, Pragam cum fratre Archiduce Leopoldo advolat, collectisque quæ in Austria, Moraviaque, & Bohemia haberi poterant copiis [a] Melchiorum Hatzfeldium imponit. Accessit legionum Bavaricarum flos, quas Elector Maximilianus Verdano & Reuschenbergio ducibus subsidio miserat. Ita omni ad bellum apparatu instructus exercitus venienti Dorstensohno ad confinia Bohemiæ opponitur. Impedimenta Taborii relicta. Id pugnae indicium fuit, neque Dorstensohnus detrectavit certamen. Cæsi fugatique Cæsariani gravi clade, cum octo rotas horas cruentissimum prælium duravisset. Reuschenbergius & Verdanus cum magna suorum parte fugâ se eripuerunt. Reliqui duces omnes fere cum ipso Hatzfeldio in Suecorum potestatem pervenere. Goetzius prima aggressione fortiter dimicans cecidit. Cæsar audita clade cum præcipuis quibusque Pragâ Viennam discessit. At vero Dorstensohnus transcursum Bohemia Iglaviam primo, dein Cremsum & alia Moraviæ loca in potestatem redigit, Olomucium, quod Wallensteinius obsidebat, famâ adventus sui liberat. Inde Brunnam munitissimum totius Moraviæ propugnaculum, quodque unicum Cæsari restabat cum toto exercitu aggreditur. Longa illic difficilisque obsidio, atque ad extremum irrita fuit; satis constat plus ibi militum quam si justa acie pugnatum foret, periisse, cum interea spacium Cæsari daretur colligendi, conscribendique novum exercitum quem hosti opponeret.

[a] 1649.

Mercius

[a] Mercius interea Bavaricarum copiarum dux, Vinarienses Ductore Turenio apud Mergentheimium insigni clade profligat. Capti primarii ordinum praefecti Smidbergius & Rosa, praeterea tormenta omnia, & quicquid apparatus bellici fuit Bavaris cessit. Turenus in Hassiam cum parte equitum elapsus addito ad se Coningsmarckio & Tupadelio, Hassicisque copiis, brevi ad parem Bavaris numerum, exercitum refecit. sed Coningsmarkio brevi in Saxoniam revocato Dux Anguiensis successit, Is occupata subito Wimpfenà, in Bavaros toto cum exercitu duxit, deprehensosque Nordlingam inter & Donavverdam praelio vincit. Neque incruenta ipsi victoria fuit praecipuis quibusque tribunorum aut caesis aut sauciis. Comes Gelenius qui Westphalia auxilia adduxerat, regebatque captus est. Mercius Bavaricorum Dux prima aggressione cecidit, ejus mors ob claritudinem facinorum & militarem prudentiam maxime deplorata. Anguiensis occupata Nordlinga dein Dunkelspuia, cum Heilbrunnam quoque dies aliquot frustra tentasset, exercitum in hiberna reducit. Bavarici ejus discessu Wimphenam & alia nonnulla oppida recuperant.

[b] Sub idem tempus Lotharius Elector Trevirensis ex decenni apud Caesarem captivitate admonente Pontifice liber emittitur. Treveris cedentibus Hispanis Electori restituta. Secutum exin inter Electorem & Metropolitanum Collegii Canonicos grave dissidium, dum ille omnia ad Gallos quorum amicitiae necdum paenitebat, hi contra, sua ad Caesarem consilia trahunt. Porro eodem tempore Elector Saxoniae semestres inducias cum Coningsmarckio & Suecis pepigit. Caesari cum Transilvano, Regi Daniae cum Gustavo Hornio, & Sueciae regno pax constituta est. [c] Interim Michael Fedorovichius magnus Moscorum Dux repentino morbo, incertum an veneno extinctus est. Successor ejus & filius

d 7

Alexius

[a] *Bavarorum & Vinariensium conflictus.* [b] *Electorem Trevirensis restituitur.* [c] *Plas. pag. 610.*

Alexius Micalovitius Comitem Voldamarum Regis Daniæ nothum, è custodia cum donis & honore dimittit, inquam illum Fedorovicius quod filiam ipsius ducturus, ritus & ceremonias Græcorum profiteri respue-
ret, barbære sane indiderat.

[a] Eadem æstate (1645.) in Catalaunia Comes Arcourtius, Catalauniæ prorex, occupata Rosa insigni portu apud mare Gallicum, mox converso itinere Sicorim fluvium cum omnibus copiis, in conspectu Hispanorum transgreditur, & commisso brevi pralio magna clade Hispanos profligat, captus Marchio Mortara dux veteranus, & ducenti Ordinum ductores, plerique omnes ex primaria Hispanorum nobilitate. Dux Andreas Cantelmus cum magna equitum parte Balaguerium elapsus, ab Arcourtio obsidetur, captoque dein oppido tria Hispanorum millia Fonterabiam deducta. In Lotharingia, Motta præcipuum ejus ditioris oppidum post quinque mensium obsidionem Gallis cessit. In Flandria Dux Aurelianensis cum viginti sex millium exercitu Mardicum cæpit, frustra se ad mænia Dunquerchæ objiciente Piccolomineo. Cæterum Mardicum tanto apparatu à Gallis captum, Hispani haud multo post per insidias recepere. Amisso interim à tergo Hulsto oppido, ab Hollandis intercepto.

[b] Inter hæc (1646.) Uladislaus Rex Poloniæ, mortua, uti ante diximus Cæcilia Renata, Aloysiam Mariam Gonzagam Ducem Nivernensem sibi matrimonio copulat, dimissis Wenceslao Principe Episcopo Varmien-
se, & Christophoro Opalinskio, Palatino Posnoniensi cum insigni comitatu, qui sponsam Parisiis in Poloniam deduxere. Romæ Mutio Vitellesco Societatis Jesu Præposito Generali, jam pridem defuncto, Vincen-
tius Caraffa sublectus est, qui triennio post dum hæc scribimus, brevem præfecturam longo sui desiderio gloriose clausit.

Graue

[a] *Progressus Gallorum.*

[b] *Matrimonium Regis Poloniæ.*

[a] Grave exin bellum Melitenfibus & Venetis cum Turcarum Imperatore exortum est. Melitam infulam peti simulabat Turca, Cæterum classe instructa. Cretam, quæ Venetorum ditionis est, infestus aggreditur. Canea, quod primarium infulæ ejus emporium est, terra marique obfessa Jamq; redegerat eam in potestatem priusquam auxilia Venetorum, Pontificisq; & Proregis Neapolitani, aliorumq; Italia Principum convenirent. Simul ut terrestri bello Venetos affligeret Dalmatiam populabundus incurfat.

[b] Interea Sueci captis in Thuringia hibernis ductore Urangelio, (nam Dorstensohnus vatum tranletudine impeditus præfectura se militari abdicaverat) smisso apud Huxteram Visurgi, turbandis Melandri consiliis, quem Circuli Wesphefici ducem Elector Colonienfis legerat, varia in Wesphefalia loca occupant, Padebornam, Lemgoviam, Statbergam munitissimum alias locū. & tolerandæ obsidioni in multos menses parē, quem, ne imponendis ubiq; præfidiis vires campeftres nimium distraherent, expilatum incendunt diruuntq;. Inde Urangelius in Hassiam contra Cæsarianos duxit, positifq; apud Kirchainium castris opperiri eos constituit. Sed illi magis, ut hostem com meatu prohiberent, quàm in unius prælii discrimen collectas Cæsaris vires projicerent, providebant. Ita præter leves aliquot velitationes, ad summam rei nihil peractum. Sueci rebus in Hassia firmatis, atq; ut ex amico solo belli sedem transferrent, simulata in agrum Moguntinensem irruptione, in Franconiam divertunt. Inde occupata Nordlinga, & Donavverda, Danubium transeunt. Jamque expugnata Raina transitum in Bavariam aperuerant, & totius exercitus viribus Augustæ vindelicorum haud procul Raina imminebant, cum Cæsariani transmissis apud Ratisponam Danubio in tempore supervenere. Ita Augusta discrimini exempta est, & Sueci in Sueviam Heldvetiosq; recessere.

Sub

[a] *Bellum Venetum cum Turcis.* [b] *Gesta Suecorum.*

Sub hæc Cremsium in Austriâ Casariani ductu Comitibus Buchemii recipiunt, quod anno superiori (1645.) Sueci expugnaverant, haud multo post mense Majo Maria Imperatrix partui jam vicina, repentino Catharro extinguitur. Proles femella ex utero defunctæ jam matris vivens exempta percepto baptismo paulo post matrem secuta est. At in Polonia inter Regiarum nuptiarum solennia Stanislaus Coniecpolsius Polonicæ militiæ supremus imperator ex hac vita decessit, eo majore Regis dolore, quod jam in Turcas ac Tartaros haud sane consentientibus Regni senatoribus bellum meditabatur.

[a] Cæterum Galli universas prope Regni vires hoc anno uni Belgio immisere. Cortracum quatuor duces Anguiensis, Aurelianensis, Gassionius & Ranzovius cum quadraginta millium exercitu, & magno instrumenti bellici apparatu, obsident capiuntque, Inde ad Winoxbergam & Mardicum quod Hispani nuper per insidias receperant, vis omnis conversa, Quibus non sine sanguine in potestatem redactis, Dunquercha, quod caput expeditionis fuerat, circumsideri capta. Is munitissimus Flandriæ portus est, ac solus propemodum ex quo rem maritimam Hispani gerebant. In erat quatuor fere millium præsidium sub præfecto Marchione Ledæo. Cæterum Dux Anguiensis cum numero militum, quorum sanguini nequaquam parcebat, tum omnibus ad oppugnandum necessariis prævaleret, honestis tandem conditionibus urbem cepit. [b] At Regem Hispaniarum gravior exin clades perculit, unici filii repentina amissio. Sexdecim annorum erat, & in spem tot regnorum genitus, cum Sagunti puerilibus papulis cæpit laborare, eo morbo & quidem per brevi extinctus est, ingenti luctu totius Hispaniæ. Sub idem tempus Odoardus Farnesius Parmæ ac Placentiæ Dux vivere desit, quatuor liberis relictis, quorum natu ma-

major

[a] Gallorum in Belgie progressus.

[b] Mors filii Regis Hispaniarum.

major Ranutius anno ætatis sexto decimo patri successit.

[a] Interim Ferdinandus IV. primogenitus Cæsaris Rex Bohemiæ in magnâ Procerum coronâ, & Cæsare ipso præsentè Pragæ inauguratur, [b] Quo tempore Halberstadium & Ascherlebiâ inter, in pago Horrhausen multi diversis in locis fontes erupere, tanta vi salubrium aquarum (nam sanabantur usu earum quotidie permulti) ut locus ille gliscente ut fit in majus fama, multorum mox millium, omnis ætatis generisque & conditionis hominum adventu celebrari ceperit. Admiranda sunt quæ de virtute eorum fontium memorabantur, ut nullum fere morbi genus extiterit quod non hic remedium invenerit.

[d] Per idem tempus in Anglia res Regis plane procubuerunt, amissa ad extremum Oxonia, ex qua Rex paulo ante in Scotiam profugerat. Cæterum in agro Coloniensi Melander liberata Sonfa quam Rabenhauptius Novesiensis præsidii præfectus obsederat, Euskirchium ejectis inde Hassis recipit, mox Heinsbergum in agro Juliacensi amoto inde præsidio Neoburgico, veritus fortasse ne se Hassi præverterent, intercipit. Cum interea Hollandi Venlonam gravi obsidione sed ad extremum irrita premerent. Multo felicius Balduinus Remontius Widenbrugæ gubernator accepta à Melandro & ex vicinis præsiidiis firma manu, ignorantibus hostibus, Paderbornam subito aggressus parvo suorû damno occupat, præsiidiariis omnibus aut cæsis aut captis. Eodem tempore Elector Brandenburgicus in Hollandiam adveniens Ludovicam Principis Orangii filiam in matrimonium accepit. Nuptiarum solemnia Hagæ comitis mense Decembri festivo apparatu celebrata sunt. Porro Romæ Franciscus & Antonius Cardinales Barberini, & Urbani Octavi Pontificis Nepotes, cum motâ contra eos controversiâ in res sub patruo Pontifice

[a] Ferdinandus IV. fit Rex Bohemiæ. [b] Fontes Medicæ.
[c] Res Angliæ, & gesta Melandri.

tifice gestas in Galliam profugissent, Avenionem revocati & in pristinam gratiam dignitatemque repositi sunt.

[a] At vero (1647.) Carolus Gustavus Urangelius, quem supra in Sueviam, Heluetiosq; irrupisse memoravimus, occupatis faucibus Brigantinis, & ipso Brigantio, dein Menavia insula, ad lacum Acronium, mox quoq; ad obsidendum Lindavium etsi media hyeme animum adjecit Præerat urbi Maximilianus Wilibaldus Comes Wolfeggus. Is intellecto hostium consilio preparatis omnibus quæ sustinendæ obsidioni necessaria erant, septingentos præterea, ex iis qui in urbem cõfugerant, armat, & præsidiariis quorum numerus quingentos nõ excedebat miscet. Reliquam turbam bello inutilem ad fodiendum, ministrandumq; militantibus accingit. Ipse omnibus consilio & exemplo adest. Ita urbs etsi magnis viribus oppugnaretur, post duorum mensium obsidionem, hostibus sponte recedentibus conservata est. Urangelius porro re cum Helvetiis composita transmissio rursus Danubio in Franconiam cõcedens Sveinfurtum expugnat, Inde Bavari securus, (qui interea pro se ac Fratre Electore Coloniense, cum Gallis, Suecisq;, ac Hassis inducias armorum pepigerat,) in Bohemiam movet, & prius quam occurrere illi Cæsarianus exercitus posset Egram difficili & cruenta sane obsidione in potestatem redigit. Cæterum ne porro progredere, Cæsar contractis quicquid uspiam virium supererat, ipse præsens in castris hosti abjecit, novo jam duce in defuncti Gallassii locum sublecto Melandro, Qui pridem Circuli Westphalici copiis Electoris Coloniensis nomine præfuerat. Melander laborantes Cæsaris res, & induciis Bavaricis haud paulo debiliores, egregia virtute sustentavit. Accessit alia res qua nulla opportunior per id tempus Cæsari accidere poterat, seditio Vinariensium. Quæ defectu stipendiorum orta eo usque prorupit, ut deposito palam obsequio, reverentiaque, à reliquis

[a] *Gesta Suecorum ad lacum Acronium.*

quis Gallis discederet. Crevitq; contumacia postquam Turenus (is ductor eorum fuerat) desperata secedentium reconciliatione, reliquam exercitus partem, quæ sub obsequio remanserat, in refractarios immisit, sed illi se contra vim probe muniverunt, tum vero cognito Gallorum consilio, transfugium in Cæsaris partes non semel minati, à Coningsmarckio tandem bimestri stipendio placati & excepti sunt. Urangelius interea, ruptis Bavaricis induciis ne à duobus exercitibus opprimeretur evocato ad se Coningsmarkio Bohemia excessit. Bavarus interea Memmingam, Cæsareani Iglaviam recuperant. Melander cum majore utriusque exercitus parte in Hassiam irrumpens Marpurgum expugnat, arx in potestate hostium mansit, cui tribunus Staufius præerat. Is cognita domo in qua Melander morabatur, septem eo tormenta dirigi & explodi uno impetu jussit. Neque res discrimine caruit, Melander, & Marchio quidam Badensis muri & tabularum diffilentium fragmentis graviter fauciantur. Vigili qui ante conclave excubabat, caput avulsum. Urbs dein cum sine arce retineri non posset spoliata & deserta est, exercitus per Franconiã & vicina illic loca in hiberna dispositus.

Sub idem tēpus mortem obiere, Francofurti ad mœnum Anselmus Casimirus Elector Moguntinus, cui dein Joannes Philippus Dux Franconiæ & Episcopus Herbipolensis successus est. In Hollandia Henricus Fridericus Nassovius Princeps Orangius, cujus filio Wilhelmo præfectura militaris federatarum provinciarum delata est. In Saxonia Christianus Daniæ Princeps, dum curandæ valetudinis ergo ad thermas Catolinas profectioem instituit, quem haud multo post pater Christianus IV. Daniæ rex secutus est.

Lambojus interea Windeccam in Ducatu Montensi non invalidam arcem, mox Marcodurum in agro Juliacensi dilatandis hibernis militum hospitiiis, suo præsidio occupat. In Silesia Dux Wittenbergicus, Suedicarum rerum in Silesia præfectus, Uratislaviam, Nissam,

Nissam, aliaque ibidem loca quæ Comes Buchemius in fide Cæsaris retinebat, variis excursionibus infestat.

[a] Ingens subinde seditio Neapoli modicis initiis exorta, magnis cladibus illud Regnum involuit, origo turbarum fuit gravitas vectigalium, quibus se plebs premi querebatur, sed res huc usque intra querimonias constiterat, nempe deerat dux qui jam in tumultum propendentes impelleret, cum Piscator quidam, Masaniellus, juvenis audax & temerarius negocium sibi sumit abrogandorum vectigalium. Assumptaque parva manu, mox aliis aliisque confluentibus timendus jam, prorumpit in forum, ædesque publicas privatasque eorum, in quibus vectigalia pendi mos est, subjecto igne incendit. Mox, cum majore multitudine, adito Prorege abrogationem omnium vectigalium exposcit, ostentata vi nisi postulatis suis satisfieret. Simul correpti aliqui qui adversabantur & jussu ejus interfecti. Jamque rem unius octidui spacio eo perduxerat, ut Prorege & Archiepiscopo, consensu multitudinis, perterritis, ipse solus dominaretur, sed & vulgum, tanquam novus libertatis vindex ad nutus suos obsequentissimum habebat. Cæterum nihil repentinum perpetuum, nam subitaneam Masanielli felicitas, auctori in exitium vertit. Ipse, seu vitio naturæ, seu multitudine & insolentia negociorum, quibus piscatorium illud caput non assueverat; seu quod toto seditionis tempore somnum non ceperat, in delirium lapsus decimo quam tumultum captaverat die, à nobilibus aliquot interficitur, sed sublato authore, turbæ non quieverunt. Ita res paulatim in civile bellum conversa, dum divisis inter se partibus, populus urbem, Prorex cum nobilium plerisque arcem tuetur. Sed & Galli ejusmodi occasionum haud segnes Ducem Guisium cum classe submiserant. Is magno triumpho à populo acceptus, diu partes multitudinis egregie defendit. Paulatim tamen subeunte belli tædio

amor

[a] *Turba Neapolitana.*

amor & obsequium erga Regem rediit. Data venia pœnitentibus, receptique in gratiam à Joanne Austriaco, & Prorege Comite Ognatio ad quietem se composuerunt. Dux Guisus reprehensus è fuga in potestatem Hispanorum pervenit. (1648.)

[a] Sequitur annus composita tandem Belgica, Germanicaque pace memorabilis. Sed initia ipsius crudelè adhuc bello, & infestis ubique armis perfonuere. Etenim Urangelius in agro Brunsvicensi & Mindensi refectis per hiberna militibus necdum finita hyeme per Hassiam in Franconiam ac Palatinatum contendit, ubi recepto ad se cum septem millibus Turenio, mense Majo, Lavingæ Danubium transmittit. Aberat haud procul exercitus Cæsaris Duce Melandro, quibus se Bavarici junxerant, ductore Justo Maximiliano Comite Gronsfeldio, jamque audito transitu Suecorum ad defendendum Lycum qui Baviaræ limes est sensim recedebant. Coningsmarckius jussu Urangelii cum octo equitum millibus postremum Cæsareorum agmen affecutus heud procul Augustâ prælio configit. Cujus initio Melander duobus vulneribus confossus à recedentibus suis Augustâ defertur, & paulo post extinguitur. Casu ducis exercitus percussus in Baviarâ recessit. Quos infecutus Urangelius raro jam obistente, eodem loco quo olim Rex Gustavus Adolphus Lycum fluvium transmittit, Inde expugnatâ Frisingâ & superato Isara nullo prohibente totius intra Oenonem Baviaræ potitur, paucis oppidis exceptis in quæ Elector Baviaræ peditatû suû tempestive immiserat. Oeni transitû apud Muldorfium oppidum diu frustra tentavit, magnâ semper suorum clade, ab excubantibus in adversa ripa Bavaricis rejectus. Cæterum audito Piccolominei adventu, quem Cæsar in Melandri locum suffecerat, copias suas ad Isaram retraxit. Piccolomineus, amoto, jam ante à Bavarica præfectura, Gronsfeldio, utriusque exercitus imperium accepit, collatisque castris contra Suecos consedit.

Sub

[a] *Sueci in Baviariam irrumpunt,*

[a] Sub idem tempus Coningsmarckius, cæso apud Augustam Melandro, in Palatinatū superiorem regressus, dum variis subinde irruptionibus Bohemiam infestat, arcem Regiam Pragensem cum parua, ut vocant urbe, militari dolo, aggreditur intercipitq;. Hæc Pragæ urbis pars à reliquis duabus, quas novam & veterē Pragam vocant, interfluente Multavia fluvio separatur. Igitur Coningsmarckius opulentā præter spem præda, & magno illustriū captivorum numero potitus accito ad se ex Silesia Duce Wittenbergiæ ad subigendam reliquā Pragam animū adjecit. Porro Comes Colloredius ægre ex arce in veterem urbem elapsus, evocato ad se prope- rē Comite Bucheimio, tum prona Civiumq; & Studio- forum volūtate, magno animo oppugnantibus restitit. Mense Octobri cum novo è Suecia supplemento Carolus Gustavus Comes Palatinus oppugnantibus accessit. Cæterum omnes hostiū conatus infra virtutem pro patria, & fortunis pugnantium fuere. Obsessos dein non tam nuncius cōclusæ pacis, quā sua virtus discrimini exemit.

[a] Dum hæc in Bohemia Bavariaq; geruntur, Lambojus cæso captoq; apud Giesecam Westphaliæ urbem Ernesto Hassiæ Landgravio, mox expugnationem oppidi ejus cum clade attentans, In Juliacensi dein agro, Breidenbendam arcem prævalidam imprimis feliciter expugnat. Inde reducto supra Bonnam exercitu, & modica quiete recreato, repente in Hassos ducit. Illi apud Grevenbrugam castra locaverant. Lambojus summo mane in hostes impetum facit, & primo quidem secundo prælio usus, dein vertente fortuna funditur, peditatu fere omni, & tormentis vndecim amissis. Porro Lambojus ex omnibus Westphaliæ præsidiis, refecto celeriter exercitu, paulo supra Novesium castra locat, Interim Hassi novis ex Hassia supplementis equitum præsertim, quorum penuria laborabant, confirmati Marcodurum expugnant. Inde in Westphalam

tran-

Coningsmarckius pragam occupat. [b] Gesta Lamboii & Hassorum.

transgressi subsequente Lambojo, Paderbornam frustra circumfident.

[a] Interea inter Hispanos Gallosq; bellū recruduit. In Belgio Princeps Condæus Ipras, Archidux Leopoldus Cortracum cepit. Ranzovius, Gallicus Dunqueræ Gubernator, dum Ostendam per insidias attentat, animadversâ ab Hispanis fraude, cum clade repellitur. At breve id gaudium Hispanis fuit. Quo tentatâ subinde in Picardiam non improspere excursionem, Condæus Atrebatum & Bassæam inter justo prælio profli-gat. Capti primores quique, Princeps Lignyus, sum-mus Equitum præfectus, Uterque Becquius, pater & filius, non multo post ex vulneribus mortui, dein Chi-liarchæ, Anthonius Hortado, Gabriel Toletanus, Mar-chio Bentivolius, Momorantius, Mondragonius, alii-que permulti, cum tormentis & omni bellico apparatu. Porro Condæus Vurnam, quam paulo ante Marchio Sfondrâta, Ostendæ Gubernator Gallis eripuerat, recu-perat. In Catalaunia Prorex Schombergius Tortosam ad Iberum sitam non sine sanguine expugnat.

[b] Sub idem tempus Uladislavus IV. Poloniae Rex re-bus humanis excessit, eo majore Regni damno, quod paulo ante Duce Chmielecio ortum à Cosaccis bellum, obitu regis in manifestam defectionem erupit, Fædum, id, & atrox interregnum, immanitate Cosaccorum fuit, qui adscitis in societatem Tartaris, tum cæso apud Cō-stantinoviâ Polonico exercitu, ad ipsa Uaraviae mæ-nia populabundi excurrerant. Quo magis ad novi regis electionem properatum. Creatus consensu omnium Jo-hannes Casimirus Uladislavi, frater, quem ante annos pau-cos ex Societate Jesu assumptum Pontifex ad Cardina-latum promoverat, decretum dein in Cosaccos bellum, constituta pecunia, auxiliaq; quibus gereretur, & admi-nistratio ipsius Regi permilla. Sed & in Dania extincto Christiano IV. filius ipsius Fridericus Archiepiscopus
Bremen-

[a] Res belgica inter Gallos & Hispanos.

[b] Res polonia, & obitus Vladislavi.

Bremenſis ſublectus eſt. Imperator per idem tempus ducta Maria Leopoldina Duce Oenipontana ad ſecundas nuptias tranſiit. Filia ipſius Maria Anna Regi Hiſpaniarum deſponſata jam illuc per Italiam contendit.

[a] Gravis ſubinde conſpiratio in Regem Hiſpaniarum detegitur, eo periculoſior quod magnis authoribus nitebatur. Capti ex primoribus quidam, & dignis tanto ſcelere ſuppliciis affecti ſunt. Cæterum Gallia ſub idem tempus ingenti motu civilium diſcordiarum fluctuare cæpit [b] Rex cum Regina, Julio Mazarino Cardinale, & quotquot Regiarum partium erant ad S. Germanum profugit. Conventus Juridici (Parlamenta ipſi vocant) non Pariſiis modo, ubi maxima eſt eorum authoritas, ſed Rotomagi quoque, Burdegala, Tolofa, Gratianopoli, à Secreto Regis conſilio, & Regni adminiſtratione palam diſſentiebant, Populus, & pleraque vulgi pars, abolitionem tributorum, & pacem petebat. Ita ad arma perventum, quæ durantibus hibernis dum ab externo hoſte ocium fuit, in ſemet convertere. Primo vere Archidux Leopoldus promotus in Galliam exercitu diſſidentibus ſupervenit. Eo metu internum malum utcunque compoſitum, plebs ſpe brevi ſecururae pacis delinita. Archidux majore vi in Belgium rejicitur, Dein Galli ad cingendum obſidione Cameracum, animum adjiciunt, Repulſique iterum ab Archiduce cum clade, infeſtis adhuc inter ſe caſtris conſiſtunt. Nondum ſatis ſecuri interni incendi, quod non niſi abolitis tributis, & cum Hiſpanis conſectâ tandem pace, extingui poſſe apparet.

[c] Cæterum in Anglia Carolus Rex, civilium motuum inteſtina diſſidia ſuo ſanguine expiavit, nam capto uti ante moravimus Oxonio, cū me in Scotiâ profugiſſet; à Scotis, Angliæ ordinibus hoſtibus ſuis traditus eſt. Inde apud Vectem Inſulam in cuſtodiam datus,

MOX

[a] *Hiſpania Regis periculum.* [b] *Turba Gallica.*

[c] *Res Angliæ, & ſupplicium Regis Caroli.*

mox contra omnium Gentium instituta à suismet rebellibus turbatæ pacis, postularus, exutusque publico edicto omni Regio honore, titulisq; ad mortem damnatur. Centum & quadraginta Judices in caput Regium sententiam tulere, novum id atque extra ordinem sanguinarium tribuni Thomas Fairfaxius, & Olivarius Cromuellius militiæ Anglicanæ supremi duces instituerant, allectis plerisque ex ima etiam vulgi face, insigni erga domum Regiam scelere, odioque. Damnato Regi, triduum, comparando ad mortem animo, datum est, nihil interim aut Scotici Oratores, aut aliorum Regum, Principumque Legati, ne ad differendum quidem supplicium valere. Igitur nona Februarii, Londini (1648.) ejecto ante Palatium regium, Withallum vocant, theatro, quod armata undique legio cingebat securi percutitur, anno ætatis nono & quadragesimo, ex quibus dimidium fere in regno transegit. Interfecto rege in bona ejus, amicosque pari immanitate sævitum est. Carolus primogenitus Regis est Walliæ princeps, Robertus dux Eboracensis, qui jam ante jussu patris è regno profugerant, eorundem Judicum decreto hostes Reipublicæ denunciari, & regno perpetuum abstinere jussi sunt. Dux Hamiltonius aliisque regiarum partium qui in potestate Judicum erant securi percussi. Regia dein gubernandi ratio sublata, edictumque sub mortis pæna, ne de reducenda ea ageretur. Cæterum Carolus Walliæ Princeps auditâ patris morte Regium titulum mox usurpavit, in quem utpote legitimum hæredem Scotiæ & Hiberniæ regna haud obscure inclinant. Cui quantum fortunæ viriumque, ad vindicandam patris necem, asserendumque Britanniæ regnum affuturum sit, insequentis anni aperient.


[a] Paulo ante quam hæc in Anglia fierent conclusa Monasterii pax finem armis Germanicis imposuit. Rex Hispaniarum & fæderatæ Belgii provinciæ primi omnium convenere, (30. Jan. 48.) nempe inter quos lon-

giora

[a] Pax Conclusa.

giora dissidia & difficile in annos prope octoginta bellum intercesserat. Mense Octobri (24. die) pax imperii coaluit, consensuque Legatorum atque ordinum paucis contradicentibus subscripta, postridie solenni apparatu Monasterii publicata est. Mox ab armis cessatum, Miles Cæsaris per Bohemiam Austriamque & vicinas provincias, Suedicus in reliquos Imperii circulos per hospitia dispositus, aliturque etiamnum provincialium tributis, donec ea quæ super pace conventa sunt, communi omnium consilio effecta fuerint. In qua re Mindæ primo, nunc Norimbergæ omnium ordinum Legati, & præfecti exercituum laborant.

Hæc sunt, Benevole Lector, quæ de triginta his annis ex multis pauca selegi, atque in hanc Epitomen festinante Typographo disposui. Scriptorum fidem in omnibus secutus nihil ex meo addidi. Quo facilius ut spero ignosces, si alicubi lapsus sum.



INDL

I N D I C U L U S

In hanc posteriorem Epitomen.

<p>Ambrosius Spinola. 7.16.33 Albertus Wallensteinus plectitur. 96 Dux Fridlandia, 23.37.46.57 Aldringerius, 55.59 Armistitium Bavaricum, 90 Anselmus Casimirus Elector Mo- guntinus, 91 Augustana obsidio, 59 Amurathes Imp. Tur. 65 Aloysius Contarenus orator Vene- tus. 66 Amnestia publicata in Germa- nia. 72 Bellum Bohemicum 3.4. Rheti- cum, 9. Gallicum civile, 9.16. 45. Transylvanicum 9.19. 26. Danicum 22. 27. Rusticum in Austria 25. Italicum seu Man- tuanum 32. Hibernicum 34. Moscoviticum, 57. Parmense & Pontificium 81. Dano-Suecicum, 82. Venetum cum Turcis. 66.87. Gallico Germanicum 61.64.67. Tartaricum, 65. Anglicum, 69. 73.83.89. Catalaunicum & Lu- sitanum 72. Neapolitanum. 92 Babylon capta à Turcis, 66 Brisacum captum, 68.69 Breda expugnata. 64 Bavaria invaditur à Suecis. 48.13. Bernardus Dux Saxo Vinariensis. 56.64.67.69 Buckinghamii cedes, 36 Bethlenius princeps Transylvanie 6.9.10.26.35 Cæsaris ministri Praga è fe- nestra dejecti, 4 Carolus Longevallius Comes Bu- quoi, 5.10 Cometa. 5 Christianus Dux Brunsvicensis, 15.16.24 Comitatus Ratisponensis, 18.37.62.72</p>	<p>Carolus Rex Anglia, 20.59. capite Christianus IV. Rex Dania 22.24 Causa belli Germanici. 30 Cecilia Renata Reg. Pol. 83 Christophorus Ratzivilius Gene- ralis militia Polonica. 58 Claudius Memmius orator Galli- cus. 58 Clades Hollandorum ad Calloun- tus. 64 Casimirus Princeps Polonia. 68. fit Rex Polonia. 95 Directores Bohemici, 4 Dorstenionius. 50.76.84 Ernestus Mansfeldius, 4.6.15. 23 Edictum restitutionis. 36 Erduandus II. Casar. 6.11.62 Ferdinandus III. fit Rex Vnga- ria, 21. Bohemia, 26. Generalis- simus, 58. Casar. 62 Ferdinandus Cardinalis Guberna- tor belgii. 75 Franciscus à Melo, 80 Ferdinandus IV. fit Rex Bohemia, 89 Fontes salutare, ibid. Fridericus Comes Palatinus Rhe- ni, 6.7.8.53 Godefridus Comes Papenhei- mius, 8.50.51. & seqq. Georgius Ragotsius, 35 Gustavus Adolphus Rex Suecia invadit Livoniam, 17. 21. Vul- neratur 22. 33. venit in Germa- niam, 39. cadit in pralio Lir- zensi, 52 Gustavus Horn. 54 Guilielmus Baudis, 54 Guilielmus, Hassia Landgravius, 63</p>
--	--

84
1.60
88
90
76
er-
17
tie
4
nia
5
45.
m,


er-
10-
94
lor
55
.73
60
97
49
35
Vi-
nar


58
29
cio.


63
71
96
57.


75
81
80












42 $\frac{7}{24}$

ULB Halle
006 655 130

3



V077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red


Magenta

White

3/Color

Black

APPENDIX II.
SEU
EPITOME
HISTORIARVM
nostri temporis
AB ANNO M. DC. XVIII.
VSQVE AD ANNUM M. DC. XLIX.
Pro continuatione Historiarum
HORATII TURSELLINI, S. I.
ab orbe condito.
A U T H O R E,
A. B. C.



COLONIAE,
Apud JOANNEM ANTHONIUM KINCKIUM.
ANNO M. DC. XLIX.
Cum Privileg. S. C. M. Generali.